# ANNI SCHOLASTICI EXEUNTIS SOLLEMNIA

IN

# GYMNASIO REGIO AVGVSTANO

*AUGUSTANAE CONFESSIONI*

ADDICTO

XI. KAL. SEPTEMBRES MDCCCXLVI

CELEBRANDA

INDICIT

**D. GEORGIVS CASPARVS MEZGER**

GYMNASII RECTOR.

INEST COMMENTATIO DE OPERIBUS ANTIQVIS AD VICUM NORDENDORF E SOLO ERVTIS.

AUGUSTAE VINDELICORUM,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA J. C. WIRTHII.

MDCCCXLVI.

# DE

# OPERIBVS ANTIQVIS AD VICVM

# NORDENDORF

## E SOLO ERVTIS.

SCRIPSIT

D. GEORGIVS CASPARVS MEZGER

GYMNASII AVGVSTANI AVG. CONF. ADDICTI RECTOR.

---

*CVM II. TABVLIS LITHOGRAPHICIS.*

---

AVGVSTAE VINDELICORVM

MDCCCXLVI.

TYPIS WIRTHIANIS.

In praefectura nostra Suevo-Neoburgensi quum multa inventa sint priscae aetatis monumenta, tum inter praeclarissima referuntur ea, quae nuper ad vicum Nordendorf in lucem sunt protracta. Illa egregie recensuit atque explicavit *de Raiser*, V. Cl., cujus ad laudem, quam muneribus publice administratis sibi comparavit singularem, tanquam cumulus accedit, quod omnem rerum antiquo tempore in nostra provincia gestarum memoriam diligentissime excussit et illustravit[1]), haec et idem in annalibus societatis historicae, quae apud nos constituta est, accurate et erudite, ut solet, descripsit et alii viri docti explananda sibi sumserunt. Quorum studia quum praeterito anno in consessu amplissimorum virorum, qui societati nostrae historicae praesunt, pro eo ut par erat laudassem simulque indicassem, quantopere illi inter se dissentirent in gente aetateque definienda, cui opera Nordendorpensia vindicanda esse viderentur, exstiterunt, qui operae pretium me esse facturum existimarent, si varias discrepantium opiniones scriptione aliqua ita complecterer, ut uno in conspectu ponerentur. Atque equidem tametsi multis negotiis districtus eram

---

[1]) *cf.* Ejus scripta: „Das römische Antiquarium, Augsburg 1823.“ 1) Die *römischen Alterthümer* zu *Augsburg* und andere Denkwürdigkeiten des Ober-Donau-Kreises. Augsb. 1820. (4) 2) Urkundliche Geschichte der Stadt *Lauingen* mit dem Beschriebe der daselbst u. in der Nachbarschaft aufgefundenen römischen Alterthümer u. Münzen, Augsb. 1822. (4) 3) *Guntia* und Geschichte der Markgrafschaft *Burgau*, Augsb. 1823. Aus *Guntia* besonders abgedruckt: 4) Drusomagus & Sedatum, u. römische Alterthümer in Augsburgs Nachbarorten $18^{24}/_{25}$. (4) 5) Antiquarische Reise von Augusta nach *Viaca* mit Excursionen nach *Venaxomodurum* u. *Coelio-Monte*, Augsb. 1829. (4) 6) Der Ober-Donau-Kreis des Königreichs Bayern unter den Römern. I. Abth. Augsb. 1830. II. Abth. Augsb. 1831., Forts. d. II. u. III. Abth., Augsb. 1832. 7) Beiträge für Kunst u. Alterthum im Ober-Donau-Kreis. Fünf Jahrgänge 1829-1833. 8) Die Wappen der Städte, Märkte, und Wappenberechtigten Orte im O. D. Kreis, und ihre Ort- und Distriktsgeschichten 1834. (4) 9) Jahresberichte des historischen Vereins für Schwaben und Neuburg von 1835 bis 1845.

studiorumque meorum ratione alio vocabar, tamen causae optimae deesse nolui propterea quod a me jure postulari posse videbatur, ut de ea aliquid scriberem. Id enim muneris quum mihi injunctum esset, ut cum *Clem. Feigelio*, architecto honestissimo, qui tum solum in vicinia *Nordendorpi* ad viam ferro sternendam praeparans prima vetustae artis fragmenta, quae casu et fortuito effossa erant, ab interitu servarat societatique historicae liberalissime promiserat, se vestigia antiquitatis esse persecuturum, si sumtus in operas faciendi suppeditarentur, quae ad rem opus essent in agro Nordendorpensi ipso instituerem quaeque ex infernis quasi tenebris emergerent vetustatis opera colligerem collectaque in Antiquarium Augustanum transferenda curarem, non solum intra privatos parietes iis, qui me miserant, sed litterarum causa palam et aperte rationem reddere debebam, quo modo officio meo defunctus essem.

At erant quae me tum impedirent, quominus quod mecum constitueram statim exsequerer. Quodsi nunc demum ad scribendum aggredior, hoc moneam ante omnia necesse est, me non id unum acturum esse, ut quid alii de antiquitatibus nostris sentiant enarrem, sed etiam meum ipsius judicium interpositurum.

Ut autem omnis res, de qua agitur, satis intelligi possit, paulo altius est repetendum. Primum igitur de loco, quo monumenta antiqua sepulta jacebant, deinde de iis ipsis disseram, tum controversias, quae sunt inter viros doctos ortae, commemorabo, postremo quid mihi in tanta opinionum varietate verisimillimum videatur esse argumentis e rerum memoria petitis exponam.

Atque ager Nordendorpensis in camporum patentium aequore situs terram habet frumenti satis feracem, sub cujus superficie aut limus latet aut glarea. Terminatur autem meridiem versus fluvio, quem nostrates *Schmutter* nominant, et quingentis passibus circiter ultra continuis clivis, in quibus bene multi vici, arces, monasteria conspiciuntur atque adeo rarae locorum a Romanis munitorum parietinae possunt deprehendi; a septentrionali parte Licus flumen ita campos dividit, ut qui dextro latere sunt Bavaricae, sinistro Suevicae provinciae assignentur. Vicus *Nordendorf* ipse ad viam publicam, quae ab Augusta Vindelicorum *Donauwertham* ducit, aedificatus ab illa urbe XX millibus passuum abest, ad hanc praeterea VIII millia et quingentos passus numerat.

Quo tempore Romani Vindeliciam in provinciae formam redactam obtinebant via militaris locum, ubi vicus Nordendorf media aetate conditus est, ita transcurrisse videtur, ut urbem Augustam cum oppido sive castello *Drusomago* conjungeret. *Drusomagum* autem in extremis clivis, quos modo dixi,

bis mille et quingentis ferme passibus occidentem versus a Nordendorpo distantibus collocatum fuisse haud ita longe a vero aberrabit qui cum *Raisero* statuerit.

Cujus sententiam gravissimis documentis subnixam quoniam sunt qui etiamnunc impugnent, eo magis adducor, ut quaestionem saepe multumque a viris doctis agitatam retractem, quod refert et ad id quod mihi proposui probandum decernere, quo loco *Drusomagus* situs fuerit.

Hoc autem certum est, in extrema illorum clivorum parte amplissima Romanorum opera exstructa fuisse. Namque licet arva ibi per multorum saeculorum decursum aratro quotannis exerceantur et concidantur, tamen non diu est quum integra aedificiorum fundamenta, quae peritissimus quisque antiquitatis Romanis tribuit, pavimenta tessellata, lapides Romanorum more caesos, alia id genus terra obruta denudaverunt. Huc accedit, quod magnam vasorum Romanorum variaeque supellectilis vim et tantam numorum multitudinem invenerunt, ut ex iis vel uni *Raisero* quingenti circiter enotuerint. Quid quod ex laminis aheneis non signatis, in quas agricolae inter arandum in illis agris saepe incidunt, conjicere possumus, a Romanis, qui sedem eo loco fixam habebant, numos esse excusos negotiaque creberrime transacta.

Et loci natura ipsa Romanos non solum eo tempore, quo Vindelicos subegerunt, sed etiam post, ubi fines contra impetus Germanorum perrupto limite Danubiano perniciem minitantium tuendi erant, invitare debebat, ut praesidia in illo tractu plurima collocarent et firmissima. Inde enim et facile advolabat miles Romanus, si hostes Danubium transire pararent, utpote qui amnis vix amplius quatuor millibus passuum abesset, et oculis percurrere poterat convalles, quae a confluentibus Lici et Danubii in occidentem per vicies mille passuum porrectae spatium clivorum se excipientium corona in dextra ripa fluminis circumdatae sunt. Id etiam peropportune cecidit, quod, si quid periculi a barbaris immineret, ab hoc loco per speculas nullo negotio iis, qui Augustae, in capite coloniae, stativa habebant, significare poterant et auxilia exciere e castellis recta regione ad Pomonam et Guntiam per limitem (Parrodunum?) in editis locis positis.

Quae quum ita sint, nemo erit qui dubitet, quin Romanorum ad obtinendam et pacandam provinciam permultum interfuerit, ut opera illa a Germanorum incursionibus defenderent. At vero num quis potest demonstrare, his operibus nomen *Drusomago* esse inditum?

Cl. Ptolemaeus quidem, in cujus geographia una (libr. II. c. 12. p. 124 ed. Nobbianae) hoc nomen legitur, aliam regionem spectasse videtur. Sunt enim haec ejus verba:

## Ῥαιτίας καὶ Οὐινδελκίας θέσις.

§. 1. Τῆς Ῥαιτίας ἡ μὲν δυσμικὴ πλευρὰ ὁρίζεται τῷ τε Ἀδούλᾳ ὄρει καί τῇ μεταξὺ τῶν κεφαλῶν τȣ̃ τε Ῥήνȣ καὶ τȣ̃ Δανȣβίȣ ποταμȣ̃, ἡ δὲ ἀρκτικὴ μέρει τοῦ Δανȣβίȣ ποταμȣ̃ τῷ ἀπὸ τῶν πηγῶν μέχρι τῆς τȣ̃ Αἴνȣ

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| ἐκτροπῆς - - - | λδ | | μζ | γʹ |
| ἡ δὲ ἀνατολικὴ πλευρὰ αὐτῷ τῷ Αἴνῳ ποταμῷ, οὗ τὸ νοτιώτατον πέρας ἐπέχει μοίρας - | λδ | | με | δʹ |
| ἡ δὲ ἀπὸ μεσημβρίας τοῖς ἐντεῦθεν ὑπὲρ τὴν Ἰταλίαν Ἀλπίοις ὄρεσιν, ὧν τὰ μὲν πρὸς ταῖς Γραίαις ἐπέχει μοίρας - - - - | λ | | με | γʹ |

§. 2. τὰ δὲ πρὸς ταῖς Ποιναῖς κατὰ τὴν ἀρχὴν τȣ̃ Λικίȣ ποταμȣ̃, τȣ̃ εἰς τὸν Δανȣ́βιον ἐμβάλλοντος, ὃς διορίζει τὴν Ῥαιτίαν ἀπὸ

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| τῆς Οὐινδελκίας - - - | λα | ″ | με | ″ |
| τὰ δὲ πρὸς τῇ Ὄκρᾳ ὄρη - | λγ | ″ | με | ″ |

§. 3. Κατέχουσι δὲ τῆς Ῥαιτίας
τὰ μὲν ἀρκτικώτερα Βριξάνται
τὰ δὲ νοτιώτερα Σουανῆται καὶ Ῥιγοῦσκαι,
τὰ δὲ μεταξὺ Καλούκωνες καὶ Οὐέννονες.
[πέντε ἔθνη Ῥαιτίας]

§. 4. Πόλεις δὲ αὐτῶν ὑπὸ μὲν αὐτὸν τόν Δανούβιον

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Βραγόδουρον - - - - | λ | | μς | γό |
| Δρακούινα - - - - - | λ | γʹ | μς | γό |
| Οὐίανα - - - - - | λα | | μς | γό |
| Φαινίανα - - - - - | λα | ″δʹ | μς | ″γ |

§. 5. πρὸς δὲ τὴν κεφαλὴν τȣ̃ Ῥήνȣ ποταμȣ̃·

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Ταξγαίτιον - - - - - | κθ | ″γ | μς | δʹ |
| Βριγάντιον - - - - - | λ | | μς | |
| μετὰ δὲ ταύτας Οὔικος - | λ | δʹ | με | γʹ |
| Ἐβόδουρον - - - - - | λ | γό | με | γʹ |
| Δρουσόμαγος - - - | λα | ″ | μς | ιβʹ |
| Ἐκτόδουρον - - - - | λα | γʹ | με | γʹ |

## Οὐινδελκίας θέσις

§. 1. Τῆς δὲ Οὐινδελκίας τὰ μὲν ἀρκτικώτερα κατέχουσι Ῥουνικᾶται ὑπὸ δε τούτους Λεῦνοι καὶ
Κονσουάνται,
εἶτα Βενλαῦνοι,
εἶτα Βρεῦνοι,
καὶ παρὰ τὸν Λικίαν ποταμὸν Λικάτιοι.

§. 2. *Πόλεις δέ εἰσιν ἐν τῇ Οὐινδελκίᾳ παρὰ μὲν τὸν Δανούβιον ποταμόν*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| *Ἀρτόβριγα* - - - - | λβ | δ' | μζ | ϛ' |
| *Βοιόδουρον* - - - - | λγ | ″γ' | μζ | δ' |

§. 3. *ὑπὸ δὲ ταύτας*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| *Αὐγούστα Οὐινδελικῶν* - | λβ | ″ | μϛ | γ' |
| *Καῤῥάδουνον* - - - | λγ | ″γ' | μϛ ″ | δ' |
| *Ἀβουδίακον* - - - - | λγ | ″ | μϛ | δ' |
| *Καμβόδουνον* - - - | λβ | ″γ | μϛ | |
| *Μέδουλλον* - - - - | λγ | ″γ | με | γό |
| *Ἰνούτριον* - - - - | λβ | ″γ | με | ″ |

Ex hac descriptione perspicuum est, Cl. Ptolemaeum Raetiam ipsam tribus partibus ita internoscere, ut primam, in qua urbes *Bragodurum, Dracunia, Viana* et *Phoeniana* conditae sint, Danubium attingere, altera circum fontem Rheni urbes *Taxgetium* et *Brigantium* contineri, tertiam a tergo earum adjunctam reliquas urbes *Vicum, Ebodurum, Drusomagum, Ectodurum* habere opinetur. Cui opinioni qui adstipulatur *Drusomagum* non procul ab Helvetiorum finibus quaerat necesse est. Idcirco *Leichtlen* [1]), qui in Suevorum antiquitate investiganda summa cum laude versabatur, jure fecisse censendus est, quod hanc urbem fluvio *Triesen*, qui est in principatu *Vaduz*, adjacuisse voluit. Minus recte alii in *Ptolemaei* alioquin vestigiis insistentes propius orientem urbi locum fuisse finxerunt. Veluti Georg. *Mercator* et Petr. *Montanus* [2]), Marc. *Velserus* [3]), Joa. *Sulerus* [4]), Aeg. *Tschudi* [5]) proxime Ilargum, qua regione nunc *Memminga* est, a Druso urbem conditam esse cognominem autumant. Neque ex recentioribus Conr. *Mannertus* [6]), dubitavit in eorum partes discedere, utpote qui in tabula geographica, qua

---

[1]) *cf.* Lib.: Schwaben unter den Römern etc. von Julius Leichtlen. Freiburg 1825. pag. 206.

[2]) *cf.* edit. Ptolemaei Francof. a. 1605. F. p. 56. et tabulam geogr. huic editioni adnexam.

[3]) *cf.* Ejus opera. Norimb. 1682. p. 192.

[4]) *cf.* Ejus: Raetia, das ist ausführl. u. wahrhafte Beschreib. der dreyen loblichen Grawen Bündten u. anderer Rätschen Völker etc. p. 17.

[5]) *cf.* Ejus: Beschreibung von dem Ursprung — Landmarchen — Alten Namen und Muttersprachen Galliae Comatae etc. Herausgegeben v. J. J. Gallati. Const. 1758. pag. 272.

[6]) *cf.* Ejus: Germania, Rhätia etc. nach den Begriffen der Römer.

situs locorum veteris Germaniae illustratur, nomen *Drusomagi* eidem fere regioni adscripserit atque illi viri docti. Contra jam ante ducentos plus annos Philipp. *Cluverius*, cujus sagacitati atque doctrinae quantum sit in veterum locorum indagatione concedendum *Niebuhrius* [1]) nos edocuit, aliam perscrutandi rationem ineundam esse judicavit, quum dixit, *Drusomagum* omnino non esse in numerum oppidorum Raetiae referendum [2]). Nostra aetate primus, quod sciam, J. Andr. *Buchnerus* conjectura probabili assecutus est, quo loco urbs, de qua quaeritur, steterit. Quae quidem conjectura causa est, cur in *Reichardi* tabula XII$^{\text{ma}}$ orbis terrarum antiqui nomen ejus legamus ad fluvium, quem supra *Schmutter* esse dixi, adpositum. Sed *Raisero* contigit, ut novam rei occultae lucem affunderet. Is enim quum persuasum haberet, testibus indigenis majorem fidem tribuendam esse, quam homini Aegyptio, qui quod de Germania litteris consignasset aut fando audivisset aut ex aliorum libellis non admodum certis [3]) didicisset, documenta ad quaestionem dijudicandam non magis extrinsecus quam ex re terraque ipsa petere in animum induxit. Itaque ostendit, tantam nominis similitudinem vel potius aequalitatem vico *Druisheim*, qui est medius fere inter vicum *Nordendorf* atque oppidum *Donauwerth* interjectus, cum antiquo Drusomago intercedere, ut cognatio illius cum hoc Romanorum castello non posset non agnosci, deinde ex reliquiarum Romanarum, quas vicus ille nobis impertivit, copia et amplitudine apparere dixit, eum fuisse antiquo tempore huic terrae honorem eaque ornamenta, quibus urbem vel castellum, quod nomen a privigno Imperatoris Augusti duxisset, condecoratum esse credibile esset, tum uberius exposuit, quid potissimum Drusum impulisse videretur, ut colles in ista regione muniendos curaret [4]).

Haec omnia non speciosiora sunt ad persuadendum, quam veriora. Modo ne Vir doctissimus verba Ptolemaei μετὰ δὲ ταύτας ita interpretatus esset, ut iis „ultra ad Danubium (weiter gegen die Donau)" significari scriberet. Sicut enim geographus Alexandrinus in partibus Vindeliciae enumerandis ab urbibus, quae ad Danubium vergant, exordiens eas, quae retro sequantur, adjungit, *Augustam Vindelicorum*, Carrodunum, *Abodiacum*, *Campodunum*,

---

[1]) *cf.* librum: Römische Geschichte etc. Nach Niebuhrs Vorträgen bearbeitet von Leonh. Schmitz. Aus dem Englischen etc. von Dr. Zeiss. Jena 1844. Bd. I. 119.

[2]) *cf.*: Cluverii Germaniae antiquae libr III. Lugd. Batav. apud Elzeviros 1631. p. 731.

[3]) *cf.* quae Ptolemaeus ipse dicit de fontibus, ex quibus haurire liceat terrarum cognitionem, libr. I. c. 5. et: Aelteste Geschichte Bayerns etc. v. Dr. G. Thom. Rudhart. p. 9. Anmerk.

[4]) *cf.* Ejus Drusomagus p. 1—8.

Medullum, Inutrium, (quas typis distinxi urbes, earum situs qui fuerit hodieque notissimum est,) ita Raeticas urbes recensens initio a Danubio, hoc est a Septentrionibus, facto retro ad meridiem regreditur. Quodsi quis eum id quod res est vidisse existimat, fieri profecto nequit, ut *Leichtlenum* reprehendat, quod *Drusomagum* post lacum Brigantinum posuerit. At vero multi eorum, qui apud nos antiquitates Romanas investigaverunt, et in his *de Raiser* ipse, Ptolemaeum saepissime in errorem inductum esse argumentis gravissimis probaverunt. *Jaumannus,* V. D., imprimis, ut hoc exemplo utar, quantopere ille in mensuris, quibus coeli declinationes definiri solent, usurpandis peccasset, re ad calculos vocata demonstravit. Ex hac enim disquisitione intelligimus, neque aliis locis, quae quo referenda sint nunc exploratum habemus, suos numeros in geographia Ptolemaei constare, et *Augustae Vindelicorum* apud Ptolemaeum 32 gradus 10′ longitudinis ad orientem, 46, 10′ latitudinis ad septentriones esse, re vera ejusdem longitudinem 28 gradibus 36′, latitudinem 48, 22′ confici, ut verus modulus a commenticio isto 4 gradibus 26′ et 2, 2′ differat [1]). Adde quod divinus [2]) terrarum locorumque explicator et in aliis multa novavit atque adeo perturbavit [3]).

Quae si nobiscum reputamus, tantum abest, ut religioni habeamus, Ptolemaei auctoritatem relinquere, ut gratiam apud nos ineant qui meliora atque certiora nobis largiantur. Hanc ob causam *Raiseri* sententiam intelligentissimi harum rerum judices amplexi sunt, neque *Sprunerus* verecundatus est, *Drusomagi* nomen in tabula, qua speciem, quam Germania antiqua quinto post Chr. n. saeculo habuisse videtur, accurate et circumspecte delineavit, ad eum locum adscribere, quo nunc vicum *Druisheim* habemus.

Sed redeo, unde digressus sum. In ea igitur parte agri Nordendorpensis, quae dextrorsum extenditur, quum operae ad molem aggeremque ferreis laminis jaciendum conductae ante hos tres annos, viâ publica supra vicum ipsum mille pedibus a septimo lapide [4]) in obliquum secta, mille et quinquentos

---

[1]) *cf.* Colonia Sumlocenne. Rottenburg am Nekar unter den Römern etc. vom Domdekan v. Jaumann. p. 109 et 110.

[2]) *cf.* C. Zeussii librum: Die Deutschen und die Nachbarstämme, in praefat. p. VII. Adjungi potest dissertatio egregia in Wolfii Buttmannique museo antiqq. litt.: Ueber den Ptolemaeus in der Anthologie und den Kl. Ptolemaeus. (II. Bd. p. 458.)

[3]) *cf.* Cluverii Germania antiq. p. 511., Cellarii notitia orbis antiqui p. 384. p. 406. rell. et Conr. Mannerti: Germania p. 389. rell.

[4]) Hic lapis septimus est ab Augusta Vindelicorum. Lapides dico, quibus apud nos majora itinerum spatia distinguntur. Distat autem lapis a lapide duodecim millibus et septingentis pedibus Bavaricis.

pedes opus promovissent, en ossa cum armis permixta, globulos variis coloribus conspicuos, alia effoderunt. Quod simulac Cl. *Feigele* architectus vidit antiquitatem admiratus mercenarios praemiis, ut quas eruissent hujuscemodi res sedulo colligerent sibique traderent instigavit.

Mox manifesta sunt vestigia sepulchrorum, ex quibus apparatus mortuorum major in dies conquiritur. Hac ubertate commotus *Feigele* rem ad eos, qui praefecti sunt in regno nostro viis ferro sternendis, detulit, quo in loco reclusos thesauros custodiri placeret interrogans pecuniamque ad operam mercenariorum redimendam petens, si perficere juberetur quod tanto cum successu inchoasset. Praefecti illi de iis, quae reperta erant, rerum publicarum in provincia nostra curatores certiores fecerunt eorumque arbitrio permiserunt, quid decernendum esset, id unum monentes, se non posse pecuniam publicam ad conservanda antiquitatis monumenta erogare. Ita factum est, ut integra res ad societatem nostram historicam deveniret, cujus sumtibus congesta jam opera in Antiquarium Augustanum sunt translata et nova eruta, ut eodem transferrentur.

Ad summam autem subinde 365 sepulchra ornamentis suis et muneribus vacuefacere contigit, quae 20 ordinibus per 260 passuum spatium ita patebant, ut inter ordines ipsos 3 — 4 pedum intervalla exstarent [1]).

Singula sepulchra, si virorum essent, senos pedes, raro senos pedes et semissem, si mulierum, quinos et interdum etiam senos pedes *longa,* promiscue fere binos et semissem aut ternos pedes *alta* erant; ea tantum, in quibus duo corpora inclusa erant, alterum alteri impositum, in altitudinem $6\frac{1}{2}$ pedum defossa invenerunt. In dextra parte, qua per temporis decursum aut limus succreverat aut agricolarum laboribus terrae congeries accumulata erat, ossa ad altitudinem 9 — 10 pedum latebant. Hae eorum sedes quum latae essent binos aut ternos pedes, intèr se binis aut ternis, plerumque quaternis aut quinis aut senis pedibus, et sub finem septentriones versus denis amplius pedibus distabant.

Nec difficile mortuorum loca vel e longinquo oculis discernebantur ab eo solo, quod naturale erat. Etenim quum fossas recta linea per operas ducendas curavisset architectus, terra, in qua compositi illi quiescebant, nigricans adspectu fulgebat, cujus rei causam fuisse existimo, quod corpora putredine corrupta una cum cinere atque odoribus terram colorabant.

---

[1]) *cf.* tabulae II. huic scriptioni adjunctae eam partem, qua verba leguntur: Ganzes Grabfeld bei Nordendorf.

In nullo usquam conditorio *arcae* sive *loculi* aut *lapidum* reliquiae sunt deprehensae, ut dubium esse nequeat, quin homines illi defunctos omni vestimentorum armorumque ornatu honoratos humo tantum injecta contexerint. Nimirum in hastis et umbonibus rarae ligni fibrae restabant.

Ossa autem ipsa utpote in arido solo cubantia nudare licebat fere omnia figuramque et formam humanam agnoscere; capita mortuorum ad solis ortum spectabant, excepto uno, quod retro in occasum directum erat, ut et aliarum corporis ejus partium positus contrarius atque in ceteris esset.

Aliquot locis juxta hominum etiam grandia equorum ossa apparebant. Memini, me pictorem desiderare, quum hiberno tempore in foveam aliquam recens apertam oculos demitterem. Adeo omnia ad imaginem rei adumbrandam invitabant. Ossa videlicet hominis, quem bello fuisse insignem crederes, limo sordibusque abstersa suo quaeque loco splendebant, ad dextram conspiciebantur gladii longiores brevioribus impositi, super calvam, quae scuto vel potius umbone tecta erat, hasta eminebat, a sinistro latere equus inclinato dextrorsum corpore porrectus erat, cujus speciem expressam et explicatam habebamus, quod terra gelu concreta efficiebat, ut costae distinerentur reliquaque membra quasi commissura aliqua inter se cohaerere viderentur.

Sed ut describam potius quod invenimus, quam ingenio exornem quod vidi, brachia porro mortuorum aut stricte arcteque ad corpora erant adducta, aut, id quod raro factum est, superne in pectore aut ad alveum decussatim colligata.

Statura hominum, qui in hoc loco antiquitus humati sunt, mensuram vulgarem non excessit; viri enim summum senos pedes alti erant, mulieres ferme quinos.

Juxta eos aut arma aliaque insignia militaria aut delicatior feminarum cultus urnaeque erant positae. Et gladii quidem majores maximam partem laevum latus ornabant, interdum inter pedes erant inserti, minores passim dextram occupavere partem, ad quam lanceae hastaeque ita erant adaptatae, ut plerumque capita superarent; urnae prope a pedibus stabant saepissime multiplici supellectile cinctae.

Haec munera sepulchralia etsi ab instituti mei ratione alienum est singillatim, ut quaeque in possessionem societatis nostrae historicae venerunt, percensere, tamen in reprehensionem non incurram, si generatim, prout similitudine quadam atque cognatione conjuncta esse videantur, complectar. Sed quum difficile sit, rem verbis assequi, tabulas lithographicas [1]) in extrema hujus

---

[1]) Has tabulas quum Societas historica Suevo-Neoburgensis conficiendas

scriptionis parte addidi, quibus inspectis liberum est lectoribus vel supplere animo quae requirant, vel emendare quae perperam me vidisse et descripsisse censeant.

Ante omnia autem *armatorum* decora digna sunt quae commemorentur. Jam enim ea documento esse possunt, populum, cujus mortui illi fuere, neque artium fuisse expertem et copia opibusque aliquantum floruisse. Ferrum namque, ex quo gladii hastarumque varia genera fabricata erant, non solum in chalybis modum durabat, sed tum aes conflabat stannique, cyprii, plumbi mixturâ temperabat, tum aeri argentum, argento aurum incoquebat, cingulaque, balteos, fibulas habebat eleganter artificioseque effictas atque elaboratas et gemmis etiam ornamentisque pretiosas.

## ARMORUM

magna erat in sepulchris multitudo, ut gentem bellicosam fuisse vel potius provocatam ad terram armis custodiendam et defendendam suspicari subeat; et varietas quoque armorum notabilis. Etenim primum effodimus *gladios* utrimque acutos, quos aut 2 pedes 9 digitos aut 3′ 2″ longos et circiter 2 aut $2\frac{1}{2}$″ latos ex Norico ferro factos esse inde concludere licet, quod acies eorum quamvis robigine correpta tamen nondum erat prorsus obtusa neque durities victa. Horum capuli 5″ longi corio erant tecti, nonnulli lamina superne contra ictus adorientium muniti, infra bullâ insignes. Vaginis inclusi erant enses aut coriariis aut ligneis, quarum quidem reliquiae aliquot locis etiamnunc cernuntur; in uno et altero vel corticem betulae animadvertimus restantem. (*cf.* Tab. I. 58. [1]) litt. e. f. g. h.).

Deinde *spathas* et *semispathas* [2]) nacti sumus una tantum parte acutas et eas ferri rigore atque duritie commendabiles. Quae quum in longitudinem 1′ 5″ ad 2′ 2″ et in latitudinem $2\frac{1}{2}$″ ad $1\frac{1}{2}$″ pateant, latioribus manubriis sunt habiles annulisque firmatae et in vaginis aut ex corio aut ex ligno reconditae fuisse videntur. (*cf.* Tab. I. 58. a. b. c. d.)

Tum *pugiones* congesti sunt et *cultri*, quorum partem tegumentis involutam fuisse haud obscuris indiciis colligitur. *Cultelli* singuli singulis locis, ubi mulieres infantesque sepulti erant, apparebant. Interdum fossores nostri in cultros inciderunt super majores virorum enses impositos. (*cf.* Tab. I. 45. a. b. c. Tab. II. 47. 66 f.).

---

curavisset, ut annales suos a. 1844 et 1846 figuris pictis illustraret, mihi benigne permisit, ut ad scriptionem hancce ornandam quot vellem exempla sumerem.

[1]) Tab. I dico eam, in qua annus 1843, II in qua a. 1844 inscriptus est.

[2]) De his *cf.* Isidori originum lib. XVII c. 6.

*Hastarum* denique formas minimum duodecim certis quibusdam notis distinguere potes. Amentatae enim numerantur, oblongae, acuminatae, longiores breviores, crassiores tenuiores, et ad feriendum et ad jaculandum aptae. Romanorum dicerem pila et lanceas, quaeque Gallis Germanisque in usu erant, materes, gaesa, frameas confusas et permixtas nos habere, si de telorum simulacris inter viros doctos constaret. Modus longitudinis aut bipedalis aut 9 digitorum aut medius inter eum numerum est, latitudinis $2\frac{1}{4}$ digitor. ad $\frac{1}{2}$ atque adeo ad $\frac{1}{4}$ digiti. Ferrum spiculorum quorundam durissimum est et pondere etiam gravissimum. In foraminibus, per quae hastilia inserta erant et compacta, passim sunt et ligni particulae residuae, in lapidis similitudinem illae quidem concretae, sed ita tamen comparatae, ut quercum et fraxinum dignoscere possis (Tab. I. 46. a. b. c. d. e. f. g. h. i. k. l. m.).

Postremo *sagittae ferreae* tam longitudine (maximam tamen partem 3—6 digg. longae sunt) et latitudine quam specie inter se diversae ad nos delatae sunt. In his duae conspiciuntur hamis instructae. Ceterum omnes sagittas in pharetris repositas fuisse crediderim; annuli duntaxat a tergo mortuorum protracti sunt, qui thecas hujuscemodi comprehendisse et circumclusisse videntur. (Tab. I. 47. a. b. c. d. e f. Tab. II. 66. a. b. c. d.).

Huc accedunt *umbones*, ex quibus clavi orbis adhuc prominent, cum lignum coriumque crudum, cui infixi erant, temporis iniquitate perierint. Ansae etiam ferreae, quibus scuta brachiis lacertisque implicabant efficiebantque, ut quoquoversus corpus tegerent milites ictus lapidum missiliumque observantes et excipientes, curvaturaeque quaedam munimenta remanserunt. (Tab. I. 59. a. b. c. et 60. 62.).

Nec *cingula balteique*, quorum ante jam mentionem feci, hic silentio sunt praetereundi. Egregiam enim eorum venustatem et pulchritudinem fieri non potest quin admiremur. Ex chalybe quum sint et argento eae partes, quae non potuerunt edaci robiginis pernicie corrumpi et deleri, anticam speciem maxime praebent inauratam bullisque et lineamentis scite ornatam. Quas qui adspicit eum effugere nequit, quam similes sint eorum ornamentorum militarium, quorum descriptionem *Troyonio* [1]) acceptam referimus, quamquam ea aetate, qua facta sunt illa Troyoniana, artem a pristina sua praestantia jam degenerasse in promptu est videre. (Tab. I. 27. 28. 31. 32. 33. 34. 36. 37. 38. 41. 42. 43. 49. 51. 52. 53. Tab II. 11. 12. 13. 14. 44. 45. 46. 55. 57. 64. 65. 67. 68. 69. 70. 71. Huc etiam referendae sunt fibulae ex aere in

[1]) Déscription des tombeaux de Bel-Air pres Cheseaux sur Lausanne par Frèdèric Troyon. Laus. 1841. 4.

tab. II. 17. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 41. Quae fibulis 19. et 41. descriptis adhaerent particulae corii lignique eae *lacca*, quam dicunt, obductae sunt.

Adde etiam *fibulam,* qua sagum connectebant in tab. I. 35. *armillasque* in tab. II. 72. 75. 77. 78. repraesentatas, *frenaque* equorum et *calcar* eadem forma effictum atque Romanorum (T. I. 57.), nec non *clavum* trabalem. (T. II. 53.)

Sed haec hactenus de armis militiaeque apparatu. Nam *catenas aheneas* affabre atque eximio artificio factas aerugineque nunc nobilitatas, quarum terni annulorum ordines medii ornatione quadam rosam fortasse imitante continentur, superiores et crucis signo colligati per dimidiatum orbem in figuram quadratam eamque versatilem exeunt, inferiores in tridentem desinunt, has igitur catenas num militibus adscribam dubito. Hoc quidem deliberatum mihi est, eorum opinionem rejicere, qui catenas flagella sive cruciatus instrumenta fuisse credunt. Magis placeret quod alii dicunt conjecturam e cruce capientes, hominem christianum eumque sacerdotio functum designari, si modo aliis manifestisque testimoniis et documentis (lamina enim (Tab. I. fig. 24.) quadrata bullisque in angulo distincta haud scio an non sit documenti loco) evinci posset, ex iis, qui in agro Nordendorpensi sepulti erant, nonnullos aliquando auctori salutis nostrae aeternae nomen dedisse. Quamquam non inficior, doctrinae divinitus nobiscum communicatae initium tertio post Christum saeculo et in Vindeliciam esse propagatum [1]). Sed quidni ornandi causa crucem adhibitam esse credibile sit, praesertim quum hoc ornamento catenae ordines commode potuerint contineri? Quod reliquum est, hoc moneo, globulos duos, alteri catenae appositos itemque crucibus notatos, *cavos* intus esse, unamque catenam 2, alteram 2½ pedes longitudine extendi, utramque ad coxas mortuorum jacuisse. (Tab. I. 25.)

### MUNDUM MULIEBREM

quem colligere contigit, praeter cetera suspexerunt qui antiquitates nostras contemplati sunt. Sive enim materiem spectas, sive opus ipsum intueris, sive abundantiam rerum reputas, habent fere omnia, quo oculos in se convertant defixosque teneant. Talibus tantae artis ornamentis qui homines delectantur ii profecto longissime a barbarie incultoque squalore absunt. Quin imo venusti pulchrique sensu quum viverent imbutos fuisse non mediocri eos, quos sepulchra Nordendorpensia concluserunt, hae ipsae muliercularum deliciae, si quidquam, ostendunt.

Magna autem earum pars est ex auro confecta. Veluti *aurea est fibula orbiculata*, quam in tabula lithographica (Tab I. 1.) curavimus imagine duplo mi-

[1]) *cf.* Geschichte der Einführung des Christenthums im südwestlichen Deutschland besonders in Würtemberg, von C. I. Hefele, et Col. Sumloc. von Jaumann p. 148.

nore, quam vera est, exprimendam. Atque in ejus quasi fronte arcus, circulos, lineolas, alias figuras ita efficiunt bracteae, ut suapte vi atque junctura se sustineant et extendant. Quarum figurarum intervalla sunt qui creta sive cera odores spargente impleta fuisse opinentur vestigia rei, quam etiamnunc videlicet in angulis haerentem Lynceis illi oculis cernunt, magis autem Montfauconii et Begeri [1]) super simili quodam opere explicationem sequentes. Spina sive aculeus contra, quo *monile* consertum erat, licet robigine adesus, perspicue tamen in postica orbis parte animadvertitur. Aurum ipsum triginta sex florenis aestimant qui pretium ad nostram pecuniam exigunt.

Nec multo vilior *altera est fibula* (Tab. I. 7. censenda et ea bracteis tanquam radiis distincta, qui inter se circulis aureis sunt juncti. Extremo in margine octo loci certis intervallis vitro lucent beryllum imitante, quum in alia spatia inter lineolas vitrum diffusum sit, cujus splendorem aurum suppositum auget, mediusque orbiculus gemmis ornatus fuisse videatur. Dentis nihil reliquum; diametros laminae sive orbis $1\frac{1}{4}$ digitos habet.

*Lamellae aureae* praeterea, quarum speciem variam figurae in tabula I. 9. 10. 11. 12. 17. 18. 19. et in tab. II. 15. a—m [2]) exhibent, eodem fere modo caelatae sunt, quo vas aliquod aureum ante hos duodecim annos in agro Glauhemano erutum. [3]) Eminent enim in auro plurimarum puncta in orbes circinata circulique ordine quodam copulati. Nonnullae rotundo sunt ambitu, aliae in coni globulique vel corculi formam figuratae, aliae etiam ut carbunculo radiant. Omnes quum ansatae sint et inter lapillos gemmasque in sepulchris dispersae jacuerint, nihil dubitationis suboriri potest, quin *collari feminarum* olim insertae fuerint.

Et *argento* tam puro quam inaurato aliisque metallis conflato suus erat honor. Ejus rei testes sunt *fibulae* figg. tab. I. 2. 3. 4. 5. 6. 13. 14. 15. expressae. Instar autem earum, quarum basis argentea auro obducta vitroque rubente, quod filis argenteis artificis sollertia in plures partes fidit, suffusa est, mediaque pars picturis variegata, imagines nobis possunt esse figg. tab. I. 5. et 6. et tab. II. 1. (haec fibula catellae annexa est argenteae eidemque bullis vel globulis, in quorum uno imaginem capitis humani exsculptam habemus, insigni) 2. 3. 4. 5. 6. 7. delineatae.

---

[1]) cf. L'antiquité expliquée par Bern. de Montfaucon t. III. p. 48 et Begeri thesaurus Brandenburg. t. III p. 433.

[2]) Haec (II. 15. a—m) ornamenta in tabula ea magnitudine sunt, quam vere habent.

[3]) cf. Iter Jahresbericht des histor. Vereins 1835.
Ad ea, quae in hoc libello leguntur, explicanda faciunt etiam, quae de pileo sive potius tiara aurea Antiquarii Monacensis in diariis Augustanis anno 1844 N. 27 scripta sunt.

*Inauratas* partimque *diatretas* [1]) habemus in tab. I. figg. 13. et 14. tab. II. 32—39. non minus aliis venuste exornatas, ex quibus sunt quae et avium effigies prae se ferant. Unci, utpote fibulis ferruminati, omnes tempore perierunt.

Pondere inprimis candidoque colore commendantur quarum figuras referunt tab. I. nn. 15. et 22. Harum major eà est mixturâ, ut portionem stanni 42%, plumbi 26%, argenti 0, 26%, cyprii 70,06% indicet examinantibus.

Cui rei inservierint *orbes varie perforati sive radiati ex aere tenui* aerugineque nunc insigniti (Tab. I. 8. a—h Tab. II. 8. 9. 10.) in dubio relinquere consultius est quam iis suffragari, qui id genus ornamenti mulieribus aut ad zonas coartandas aut ad humeros condecorandos fecisse credant. Verumtamen ut habeant quod sequantur quibus in conjectandi campo excurrere lubet, hoc addo, hujus ornatus, si ornatus est, juxta urceos ad pedes mortuorum maximam partem inventi transversam esse mensuram 3—3¾ digitorum marginemque ebore circumdatum fuisse inde apparere, quod (vid. Tab. I. fig. 8. a) fragmenta ejus aliqua etiamnunc exstant. Neque hoc tacendum, quod in uno alterove orbe deprehenditur, et foramina subesse, per quae fila trajici possint, vestigiaque vestimenti sive lini lineolis distincti aerugini leviter impressa, et cancellatum implexum avicularum formas monstrare hominesque sublatis manibus saltantes.

*Inaurem* contra statim agnoscis fig. 23. tab. I. descriptam. Est ea quidem *ahenea* palâque instructa, quae gemmam olim complexa esse videtur. Alias acquisivimus laceras vel ex sepulchris, in quibus viros compositos fuisse certis indiciis arguitur. In gemmis sunt etiam, quas gestatas esse ex auribus suspensas forma docet et artificium.

Nec dubiae sunt figurae *annulorum* (Tab. I. 21), quorum alter ex aere tenuissimo factus nodoque Gordio, quem dicunt, colligatus est, alterius (Tab. II. 49. a. b.) pala vel potius signum imaginem militis hastati insculptam habet, neque *acuum discriminalium* (Tab. I. 29. et Tab. II. 58—60.), quibus ars pretium addidit atque aerugo. Hae quidem acus omnes fere 7. aut 8. digitos longae sunt bullâ praestantes excavatâ, qua taeniae sertaque vinciri poterant atque subnecti [2]).

In *patella* autem, cujus aes tenuissimum est, quidni credamus unguentorum fucum matronis oblatum esse ~~nobilibus~~, praesertim quum juxta jacerent aliquot *lingulae*? (Tab. I. 62. et II. 30. et 31.).

---

[1]) De his conf. liber: Handbuch der Archäologie d. Kunst v. K. O. Müller. 2te Afl. p. 427.
[2]) cf. Boettigeri Sabina I. p. 163. et 169.

*Forficem* certe (Tab. I. 44.) elegantissime factam, cujus etiamnunc tanta acies et flexibilitas est, ut chartam dissecet, *volsellam* (T. II. 16.) *vasque unquentarium ex vitro* (Tab. II. 79.) atque *pectinem eburneum* (Tab I. 56.) in lauta feminarun supellectile numerare non vereor. [1])

Ad earum delicias *gemmae* accedunt specieque et colore variae (Tab. I. 20.). Asservamus enim ex conditoriis in agro Nordendorpensi huc transportatas *sardas*, quibus nullam gemmam apud antiquos usu frequentiorem fuisse Plinius refert [2]), oblongas alias, alias sexangulis lateribus politas, alias ovatas terebrisque perfossas. Praeterea multi sunt *amethysti*, quorum igniculi in violam exeunt, *adulterati* etiam vitro non admodum pauci aut *smaragdi* viriditatem aut *carbunculi nigrionis* ruborem ostendente [3])

*Pilae denique crystallinae,* quarum figuras in tabula I. 16. t. II. 51 et 52. notatas vides, similes videntur esse illius, quam Propertius [4]) respicit canens:

> Deinde ubi pertuleris, quos dicit fama, labores
> Herculis, ut scribat, Muneris ecquid habes?
> Et modo pavonis caudae flabella superbi
> *Et manibus dura frigus habere pila:*
> Et cupit iratum talos me poscere eburnos
> Quaeque nitent sacra vilia dona via.

Scilicet tenellae mulierculae Romanae nimium calorem arte mitigabant et refrigerabant [5]).

Sed longe maximam partem ornatus muliebris insignia illa conficiunt, quae nomine ad rem significandam non satis apto a nostratibus *margaritae Celticae* appellantur. De quibus si paulo copiosius exponam, gratiam me ab iis initurum spero, qui rerum antiquarum studiosi sunt. Haec autem ornamenta aut ex *vitro* aut ex *argilla* aut ex *succino* facta opere ipso colorumque varietate et splendore mirum quantum excellunt. Formarum omnia genera tabulae nostrae (Tab. I. 48. et 50. Tab. II. 48. a—f 61—63. 40.) referunt ex lapide chartae impressae.

Atque vitreis primum comprobatur, quod apud Plinium [6]) legimus scriptum, aliud vitrum flatu figurari, aliud torno teri, aliud argenti modo caelari. Quod

---

[1]) cf. Boettig. l. c. I. p. 166 et 313.

[2]) cf. Ejus natur. hist. l. XXXVII, c. 31.

[3]) cf. de gemmis vitreis O. Mülleri: Handbuch der Arch. K. p. 426.

[4]) Propert II, 18 60.

[5]) cf. Boettig. l. c. II tom. p. 185 et 208.

[6]) Ejus hist. nat. XXXVI, 66. Ad haec cf. liber.: Gallus oder römische Scenen aus der Zeit Augusts etc. von W. A. Becker I. Thl. p. 145.

flando conformatum est ejus nihil ad nos venit nisi fracta membra, sexcentae contra gemmae integrae tornatae et rotundatae. Has quidem versicolores habemus eâ tinctura, ut in singulis pigmenta plura dignoscantur. Fragmina aliquot gemmarum diligentius exploranti mihi persuasi, eandem esse compositionis hujus rationem atque illam, quam in pavimentis vermiculatis videmus usurpatam. Sicut enim, ubi testulae in varios colores pictae ruderi inductae sunt, solum fistucatur limaque teritur, ita fistulae sive lamellae ex vitro frigido eodemque tincto massae vitri impressae, simulac cum materie coaluerunt, cotibus sunt politae et ab omni scabritie purgatae. Hinc factum est, ut opifices quas vellent figuras arte sua fingerent. Veluti spectantur aliquot flosculis herbarum rubris nitentes, quorum folia viridia sunt, quum corpus ipsum suffuscum sit. In aliis conflandis vitrarii hanc viam ingressi esse videntur, ut tenaces vitri liquati particulas et eas colore inter se diversas agglutinarent vertendoque et torquendo in varios habitus ducerent. Harum etiam dici vix potest quantum sit in figuris et lineamentis discrimen lumenque. Aliis ocelli colore internitentes, donec temperies patiebatur, superne sunt impositi. Quibus imagines insculptae sunt eae omnes ovi in latitudinem compressi formam reddunt cuniculosque, quos cestro fecerunt artifices, habent encausto pictos. Caeteras praeminet ex eo genere gemma subviridis, in qua lotus est lepide efficta, sunt etiam, in quibus flores albi lucent alia vitri parte nigricante.

*Opera caelata* pauca exstant, at et ea pulchra.

Hae gemmae facticiae quum majores sint partimque magnitudine juglandem vel nucem avellanam aequent, purae vel uno colore conspicuae plerumque ciceris modum non excedunt. Una tamen id generis excipi debet, ideo etiam insignis, quod color proxima sapphiri similitudine pulvere aureo est commixtus.

Vitrum gemmarum aut surdum distinguimus et obscurum aut translucidum.

In *fictilibus lautitiis* ambigi potest, utrum pluris habere debeamus argillae tenuitatem et bonitatem an coloris incoquendi dexteritatem linearumque ductus. Terram quidem nullam adhibitam esse intelligitur nisi lavatam et cribratam.

Quin etiam *murrhini* globuli inventi sunt non ita pauci, quorum crustae etiamnunc non minus splendent quam recens natae. [1]) Atque quis est, quin

---

[1]) Non ignoro, quantopere recentiores ab iis dissideant, qui cum Buttmanno vasa veterum murrhina ex eodem luto a figulis facta esse statuunt, quo nostrates opera fingere solent nomine Lusitano porcellanea nominata. (*Cf.* liber O. Mülleri: Archaeologie etc. p. 427. Fr. Thierschii comment. in libb.: Abhandlungen der philologisch-philosophen Klasse der k. bayer. Acad. d. Wissensch. I. Bd. Münch. 1835. p. 443 et:

nobis largiatur, vel ob hos unos globulos antiquitates nostras quam maxime esse spectabiles? Quippe enim his evincitur, non solum Sineses artem antiquo tempore calluisse eam, qua vulgo apud nos celebrantur. Sunt autem margaritae ex murrha aut lacteae aut rubrae, illae caeruleo, hae albo colore sparsae; aliis, quarum pars ex Samia humo est, omnes fere colores inusti sunt, sed tamen ut plurimae rubro flavoque aut candido rubroque pictae sint; nonnullarum etiam maculae marmora imitantur.

*Electri* quidem splendor intermortuus est, at magnitudo tamen non omnino spernenda.

Et *veras* quoque *margaritas* in ornamentis mulierum fuisse fragmenta conchae adhuc adhaerescentia luculenter testificantur, quibus adjungo alias *conchas*, quas Veneri sacras fuisse dicunt, calce arrosas. (Tab. I. 39. II. 42. et 43.)

Ceterum non est quod moneam, omnes margaritas, et facticias et veras, perforatas esse, ut setis sive filis religari potuerint.

Jam vero ad consummandam rem huc refero

CLAVES (Tab. I. 54. et 55. et Tab. II. 56.),

SCALPELLVM (Tab. II. 50.),

in quo superne transversus est pyrites, infantiumque

LVDICRA et CREPVNDIA (Tab. I. 61.),

in quibus fuere, quae prodesse veteres opinabantur amuleti ratione adligata [1]). *Amuleti* etiam naturam obtinuisse videntur *laminae* e cornu cervino factae circulisque, punctis, quadrato venuste decoratae, quas tab. II. figg. 73. 74. 75. exhibet. Ea, quae fig. 74. expressa est, *Raiserus* refert [2]) quendam mysterium sanctae trinitatis significari ideo arbitratum esse, quod puncta in figura quadrata crucis signum redderent, quaeque ad latera ejus figurae apposita essent sedecim, numerum evangelistarum et apostolorum complerent. Quod quo jure ille opinatus sit, viderint alii me acutiores.

His adnumerandi sunt

NVMI ROMANI

foraminibus ad suspendendum instructi, quos non absurdum est blandimentorum

---

Museum der Alterth. Wissensch., herausgeg. von F. A. Wolf u. Ph. Buttmann II. Bd. p. 507). Sed quum aliud vocabulum latinum non suppetat, quod rei respondeat, ea significatione usurpare mihi liceat adjectivum *murrhinum*, qua usurpavit Buttmannus.

[1]) *cf.* Plin. n. h. XXXVII., 13.

[2]) *cf.* Ejus: Erklärung der neuen Funde von Alterthümern aus der uralten Grabstätte bei Nordendorf. Augsb. 1846. p. 12.

atque delinimentorum puerilium loco habere. Sed etiam non perforati numi Romani, *quorum vita commerciorumque usus indigebat*, muneribus sepulchralibus erant adjecti. Utrique quum certa nobis temporis momenta indicent, quae sequi debeant qui in aetate populi, de quo quaeritur, indaganda operam perdere nolint, ita a me describentur, ut singillatim perforatos litterarum compendio uncis incluso *(Perf.)*, non perforatos eodem modo *(Non perf.)* denotem. Hoc igitur ordine illi se excipiunt:

*I. Arg.* Caput Romae cum nota denarii.
Cajus JVNIus Caji Filius ROMA
Dioscuri hastati in equis.
(*cf.* Thes. Morell. t. II. p. 221.) *[Non perf.]*

*II. Aer.* Numus maxime attritus.
DIVVS AVGVSTVS PATER
Aquila sphaerae coelesti extensis alis insistens.
(anni 14. p. Chr.) *[Non perf.]*

*III. Aer.* Numus maxime attritus.
DIVVS AVGVSTVS PATER
PROVIDENTia. Templum Jani clausum.
(anni 14. p. Chr.) *[Perf.]*

*IV. Aer.* DIVVS AVGVSTVS
PROVIDENTia S. C. Templum Jani clausum.
(anni 14. p. Chr. *[Perf.]*

*V. Aer.* DIVVS AVGVSTVS
PROVIDENTia S. C. Templum Jani clausum.
*[Non perf.]*

*VI. Aer.* IMPerator NERVA CAESar AVGustus PONTifex Maximus
COS II. Pater Patriae
LIBERTAS PVBLICA. Libertatis imago cum pileo.
(anni 96. p. Chr. *cf.* Mediob. p. 193.) *[Non perf.]*

*VII. Aer.* IMP. CAES. NERVAE TRAIANO. AVG. GERmanico
DACico Pontifici Maximo TRibunitia POTestate
Consuli V. P. P. Caput *Trajani* radiatum.
Senatus Populus Que Romanus OPTIMO PRINCIPI
Tropaeum armis Dacicis exstructum; infra duo captivi sedent.
S. C.
(anni 105. Mediob.) *[Non perf.]*

*VIII. Aer.* Numus robigine ita corruptus, ut inscriptio partis ant. legi non possit.

Caput Trajani.

OPTIMO PRINCIPI. Victoria scutum tenens.

S. C.

*[Non perf.]*

*IX. Aer.* Numus valde est attritus, forma tamen capitis facit, ut Trajano adscribatur.

OPTIMO PRINCIPI

In scuto Victoriae alatae legi possunt litt. S. P. Q. R.

(anni 107. *cf.* Occo p. 207) *[Non perf.]*

*X. Aer.* HADRIANVS. AVG. COS. III. P. P. Caput laureatum.

(Posticae partis inscriptio non potest legi.)

Figura muliebris columnae innixa cum temone.

*[Non perf.]*

*XI. Aer.* Nihil in numo potest legi, nisi hoc:

AVG. COS. Caput Hadriani.

*[Perf.]*

*XII. Aer.* Maximi moduli.

SABINA. AVGVSTA. HADRIANI. AVGVSTI. Caput capillis calamistro inustis ornatum.

CONCORDIA AVG. Figura muliebris dextera pateram,
S. C. sinistra cornucopiae tenens.

*[Non perf.]*

*XIII. Aer.* Maximi moduli. Robigine partim adesus et corruptus. Inscriptionis aliquot tantum litterae legi possunt.

Caput Antonini Pii videtur esse.

CAES. . . VS P

*[Non perf.]*

*XIV. Aer.* Robigine ita corruptus, ut nulla littera legi possit.

Caput simile ***Faustinae*** sen. uxoris Antonini Pii.

*[Perf.]*

*XV. Aer.* Moduli medii.

Eodem modo corruptus. Forma capitis eadem atque *Diocletiani.*

*[Non perf.]*

*XVII. Aer.* Flavia HELENA AUGUSTA. Caput diademate ornatum.

SECVRITAS REIPVBLICAE. Matrona lauream deorsum spect. tenens.

*[Perf.]*

*XVII. Aer.* Mod. min.

Dominus Noster CONSTANTINVS. AUG.
D. N. CONSTANTINVS MAXimus AUG.
VOT XX. Haec sunt corona quercea cincta.
Infra: Signata Moneta Lugundi.

(anni 325 *cf.* Mediob. p. 466.) *[Non perf.]*

*XVIII. Aer.* Mod. min. Numus etsi attritus, tamen ita comparatus, ut certo *Constantino Magno* tribui possit.

Roma galeata.
Lupa Romulo et Remo mammam praebens, supra duae stellae.
Sig. Sisciae.

(anni 330 p. Chr.) *[Perf.]*

*XIX. Aer.* D. N. CONSTANTIVS Pius Felix AVG. Caput Fl. Jul. Constantii diadematum.
FELIX. TEMP. REPARATIO. Imago Imperatoris paludati cum labaro, in quo monogramma Christi.
Sig. Romae.

*[Perf.]*

*XX. Aer.* D. N. CONSTANTIVS P. F.
FEL. TEMP. REPARATIO. Miles equitem ex equo prolapsum perfodiens.

(anni 337.) *[Perf.]*

*XXI. Aer.* Idem numus.

*[Non perf.]*

*XXII. Aer.* Idem numus.

*[Non perf.]*

*XXIII. Aer.* Mod. min.

FL. CL. CONSTANTINVS IVN Nobilis Caesar
GLORIA EXERCITVS. Duo milites, inter quos labarum cum monogrammate Christi.

(anni 337.) *[Non perf.]*

*XXIV. Aer.* Numus mutilatus, sed *Constantinis* adscribendus.
GLORIA EXERCITVS

*XXV. Aer.* Numus item mutilatus e *Constantinorum* familia.
Duae Victoriae inter se laureolas offerentes.

*XXVI. Aer.* **D. N. VALENTINIANVS. P. F.** Caput laureatum.
**RESTITVTOR REIPVBLICAE.** Victoria alata et gradiens.
(anni 364 p. Chr., *cf.* Medioh. p. 501.) [*Non perf.*]

*XXVII. Aer.* Mod. minor.
**D. N. VALENS P. F. AVG.** Caput laureatum.
**SECVRITAS REIPVBLICAE** Victoria stans et lauream utraque manu palmamque tenens.
(anni 366 p. Chr. *cf.* Mediob. p. 506.) [*Perf.*]

*XXVIII — XXXIX.* Numi Romani ita attriti et robigine corrosi, ut neque legi inscriptiones, neque figurae internosci possint. In his septem moduli minoris, alii medii. In fragmento aliquo legitur syllaba:

**SEPT**

AD Postremum mentio injicienda est

**VRNARVM** (Tab. I. 60. lit. a — p)

*ollarum*que *fictilium* et *vasis Samii*, quae ad pedes mortuorum collocata fuisse antea jam dixi. Haec omnia praeter unum ex iis sepulchris sunt protracta, in quibus mulieres et infantes humatos fuisse ossa ipsa indicaverunt. Nulla autem urna neque cineris quidquam aut carbonis ambustique ossis neque aliud quidquam continebat, ut inanes esse additas verisimile sit. Quamquam et *ustrinis* inter sepulchrorum ordines suum locum fuisse conspici potuit. Nimirum ibi, opinor, pollincta sunt corpora lustrationisque sacra peracta.

Ceterum juxta *minores urnas* in conditoriis infantium (Tab. I. 60. g et k) et *bulla* (Tab. I. 61.) et omnis res ludicra una cum numis perforatis jacebant, nec non forficem illam venustissimam, quam jam commemoravi, ad ollam (Tab. I. 60. lit. d.) invenimus adpositam [1]).

---

Sed vereor, ne plus temporis antiquitatibus enarrandis insumserim, quam per cancellos licebat, quos mihi ipse circumdedi. Et me forsitan insimulent acta egisse, qui *Raiseri* nostri scripta legerint in hac rei parte accuratissime versati.

---

[1]) Lapis tab. II. 80, qui imaginem hominis refert hastam tenentis, ad cujus pedes tria sunt dolia, non est in agro Nordendorpensi inventus, sed in aede sacra vici *Ostendorf*, qui vicus bis ferme mille et trecentis passibus a vico Nordendorf abest, etiamnunc deprehenditur muro alicui insertus.

Veniendum igitur ad id, quod proposui tertium. Enimvero alia quaestio est, *qui fuerint illi*, quos mortuos tantis tam pulchris donis honoratos esse videmus? Quae quaestio quo magis ad cognoscendas priscae aetatis rationes interest ut recte solvatur, eo majore studio enixi sunt viri docti, ut obscuritatem rei atque dubitationem dispellerent.

Atque viam praeivit ad verum investigandum qui in diurna actorum scriptura, cui a lectorum universitate nomen est inscriptum, quanta esset nostri temporis in detegendis antiquis monumentis felicitas doctissime exposuit. [1])

Is autem comparatis inter se quae quum per universam Germaniam usque ad Chersonesum Cimbricam coacta tum nuperrime apud Helvetios et Bavaros in agro Tittmaningano [2]) et Nordendorpensi effossa sunt antiquitatis operibus atque per aetates digestis eam conjecturam fecit, ut antiquitates Nordendorpenses a *Suevis* profectas esse diceret Christianae formulae jam adstrictis. Videre enim sibi visus est Vir egregius certa iis vestigia impressa, quibus quae sepulchrorum saeculi quarti quintique p. Chr. in Germania propria essent et peculiaria significarentur. Nempe illius temporis muneribus nihil esse admixtum censuit aliunde a Romanis adscitum, sed nativam Gallorum vel Germanorum artem restitutam, quantumvis emendatam atque excultam, et Christianis etiam insignibus notatam. Utrumque autem, et Germanicae artis indolem formamque haud fucatam et sacrorum Christianorum documenta, operibus esse communia, quae ad lacum Lemannum atque in agro Tittmaningano luci essent reddita. Sed qnoniam illa, et artificio et re ipsa nostris simillima, ad Allemannos referrentur, qui sub exitum saeculi quarti p. Chr. Triboccorum Helvetiorumque pagos incolerent, consentaneum esse, haec *Suevis* tribuere, cognatae genti, cujus in ditionem utraque Raetia eodem tempore cessisset. Et *Suevos* quidem paulo post illud tempus, quo novis sacris initiati sunt, mortuos suos in hoc tractu composuisse inde conclusit, quod praeter crucem in ornatu sepulchrali nihil haberent, quo se a pristina superstitione Deorumque suorum cultu liberatos esse palam facerent.

---

[1]) *cf.* Allgem. Zeitung N. 27 Beil. 27. Jahrg. 1844.

[2]) *cf.* annales Societatis historicae Monacensis, qui inscripti sunt: Oberbayerisches Archiv für vaterländische Geschichte, et quidem quae in VI. tom. I. sect. p. 77 continetur commentatio: Aufklärung über die Schlacht zu Fridolfing durch die neuesten antiquarischen Funde etc. von *Matthias Koch.* Hunc refellere studet in eisdem annalibus (VI. tom. III sect. p. 437.) *de Koch-Sternfeld* in disquisitione: Provocirter Nachtrag etc. Ad quae Matth. Koch respondet in VII. tom. I. sect. p. 152. edita scriptione: Erwiederung etc.

At vero altum silentium veterum scriptorum de irruptione illa est, quam *Suevos* jam quarto saeculo vel initio quinti in Vindelicorum fines fecisse Vir summus autumat. Deinde si aliis non patet documentis, populum, de cujus origine atque aetate disceptatur, necessitudine aliqua cum Romanis conjunctum fuisse, at numis patet Romanis, quos modo recensui. Namque quum plurimi foraminibus careant ad religandum, concidat necesse est, quod objicitur, ad ornandum atque ludendum, non ad seria vitaeque usum eos esse adhibitos. Nec multum ex una crucis figura eos lucrari putaverim ad opinionem suam stabiliendam, qui doctrinae Christianae in his regionibus latius propagatae primordia ab iis se repetere posse credant, quorum ossa in agro Nordendorpensi abdita latebant. Sed de hac re post videbimus. Nunc restat, ut dicam, si opera, quae *Troyonius* descripsit, Allemannos habuerint auctores, non continuo consequi, ut nostra *Suevorum* fuisse statuamus. Mihi certe utrorumque similitudo non in illud evalescit, ut gentis aequalis quandam cognationem demonstret. Quidquid enim contra proferunt, res ipsa loquitur; ars eo tempore, quo Helvetica illa facta sunt, adeo jam in deterius mutata est, ut haec minime eandem antiquitatem redoleant atque Nordendorpensia. Quodsi non possum ab animo meo impetrare, ut album calculum iis omnibus adjiciat, quae in actis diurnis modo dictis exposita sunt, tamen multa optime enucleata esse confiteor.

In hoc habeo et illum Virum doctissimum consentientem, qui antiquitatibus nostris Monaci adspectis, quo translata erant, ut Regi Augustissimo in notitiam venirent, in iisdem actis suam sententiam expromsit. [1]) Verum enim vero quod is *Allemannos* in Suevorum locum ita substituendos esse putat, ut iis res, quae sub judice est, adjudicetur, id mihi multo minus persuadet. Scilicet propter id ipsum, quod tanta cura arteque ornati sunt mortui, Vir optimus commovetur, ut ad Allemannos nos ableget, quos mansuetiore animo praeditos pietatisque et humanitatis studio incensos atque pulchri sensu non mediocri ductos, quum Germanorum ex aliis in alias sedes migrantium fervor sedatus esset, intra Licum Rhenumque consedisse Christianorumque sacra amplexos esse contendit. [2]) At velim ille percurrat scriptores veteres,

---

[1]) cf. Allgem. Zeitung Jahrg. 1844. Beil. 325.

[2]) cf. l. c. p. 2597. ubi haec dicit: Alles deutet vielmehr auf einen Volkstamm milderen Sinnes, zarterer Gesinnung, auf ein gemüthvolleres, todtenehrendes Volk, das, nachdem der allgemeine Völkersturm sich gelegt, hier zwischen Lech u. Rhein feste Wohnsitze u. Ruhe gewann, u. das Christenthum annahm. Dieses Volk aber kann kaum ein anderes, als das der Alemannen gewesen sein.

qui memoriam Allemannorum explicaverunt, vel potius, si non vacat, longius exspatiari, *Severini* vitam ab *Eugippio* scriptam [1]), aut unius *Staelini* librum de rebus Wirtembergicis praeclarissimum, [2]) ut intelligat, non id posse laudis virtutumque praeconium per priora sex Christianorum saecula huic genti tribui, quod ei largius prolixiusque impertivit. Etenim morum potius feritas animusque a mitiore cultu alienus notandus erat, quam lenitas praedicanda vitaque elegantioribus artibus polita. Doctrina etiam coelesti dono cum hominibus communicata, tantum aberat, ut jam sexto saeculo medio in pectora atque instituta Allemannorum sese insinuaret, ut eos *Agathias*, suppar isti aetati scriptor, arbores quasdam, fluminum lapsus, colles, saltus colere iisque tanquam sacra facientes equos aliaque id genus quam plurima resectis capitibus immolare conquereretur. [3])

Quae quum ita sint, non multum adjumenti, opinor, Vir doctissimus ad id extricandum attulit, quod potissimum dubium est atque controversum. Tametsi de antiquitatibus ipsis erudite et subtiliter disputavit. Longum est, singula persequi; unum tantum et alterum delibo.

Memoratu autem dignum esse dicit, quod animalium effigies cum in fibula aliqua, tum in aliquot orbibus sive ornamentis in rotarum modum effictis habemus delineatas. Illud enim rarissimum occurrere ei, qui Germanorum cognatarumque gentium ornatus supellectilisque reliquias perlustret, hoc aut ad Deorum, imprimis Solis, cultum, pertinere aut, id quod propius absit a vero, amuleti vices sustinere, quod zonis cingulisque implicatum gestaverint superstitiosi populi aut collo suspensum, ut mala scilicet a se averruncarent; posse etiam in mentem venire rotae illius, qua Fortunam sontium poenas exigere in veterum religionibus significetur. Deinde artificum manum in omnibus fere operibus esse quod admiremur docet, qui patriae artis formam atque consuetudinem tam sollerter temperarint, ut ne spernerent quidem quae ab exterorum perfectiore disciplina fas sibi esset assumere et in usum suum convertere. Inde factum esse putat, ut spiris illis linearumque voluminibus, quibus artificia nationum septen-

---

[1]) Continetur ea quidem in Marc. Velseri operibus p. 631. ed Norimb., cf. et Velseri opp. p. 321.

[2]) *cf.* Würtembergische Geschichte v. Christoph Friedr. Stälin I. Thl. p. 152 rell. Stuttg. 1844.

[3]) *cf.* Agathiae de rebus gestis Justiniani Imp. lib. I p. 13 ed Venet. 1729, ubi haec ejus verba leguntur: *Δένδρα γάρ τινα ἱλάσκονται ῥεῖθρα ποταμῶν καὶ λόφους καὶ φάραγγας καὶ τούτοις ὥσπερ ὅσια δρῶντες ἵππους καὶ ἄλλα μυρία καρατομοῦντες ἐπιθειάζουσι.* Adde etiam quae Rudolph de *Raumer* dicit in libro: die Einwirkung des Christenthums auf die altdeutsche Sprache. Stuttg. 1845. p. 175.

trionalium conspicua essent, ornamenta lineamentaque illa accederent, quae Romanorum opificum more ad amussim essent ducta. Ut autem artem ferrum duratum argento illito vel ferruminato distinguendi, cujus Nordendorpensia nostra plus unum specimen exhibeant, a Byzantinis inprimis factitatam esse constet, ita imaginum quarundam in iis picturam miram et a natura ipsa abhorrentem artis nos admonere gentium orientalium propriae.

Sed in hoc haud scio an Vir acutissimus deceptus sit, quod mortuorum duorum in agro Nordendorpensi positum similem fuisse refert ejus, quo a Germanis antiquis heroes aut posteriore tempore *Carolus* Imperator conditi sunt. Neque enim ullus eorum, qui in effodiendis sepulchris occupati erant, certo mihi affirmare potuit, se talem situs ossuum discrepantiam vidisse. Et nimium etiam ingenio indulsisse videtur globulis illis cavis, qui in extrema parte catenae aheneae supra memoratae suspensi sunt, quum rimas incisas haberent ad sonum edendum, effectum esse scribens, ut omnes tinnitu exaudire possent, si quis vir fortis virtute sua eminens in vulgus dicam an ad pugnandum procederet. Nempe praeterquam quod nihil intus est in globulis, quo concusso strepitus cieri potuerit, globuli ipsi multo minores sunt, quam ut iis quidquam ad signa danda profectum sit.

Verum ut ad alia progrediar, non in ullam gentem magis quadrare quae inventa essent quam in *Celtas* iis, quae de antiquitatum origine ad hoc tempus dicta erant, alius Vir doctus rerum antiquarum studio ductus opposuit, cujus nomen in diurna Augustan. scriptura siglis M. K. indicatum est [1]). Namque quum in confessis esset, ita tantum rem dijudicari posse, si quae eruerentur e solo opera nobis ignota cum aliis similibus iisque notis componeremus simulque ad comprobandum veterum scriptorum testimoniis uteremur, utraque ratione effici dixit, ut de illa Celtarum gente cogitaremus. Quid enim? inquit, Num licet munera sepulchralia ad Allemannos bellicosos et ab artibus abhorrentes vindicare, quorum regnum arctioribus finibus circumscriptum fuisse apertum est, quum per universam Germaniam usque ad extremos Septentriones, quin imo apud Britannos, Hibernos, Scotos, Gallos congesta asserventur plurima artificio, genere, materie illis simillima? Nonne contra necessitate quadam urgente adducimur, ut illa ad eos potius referamus, quorum domicilia latissime patebant artesque quam maxime celebrabantur? Quippe, *Celtae* enim per aliquot saecula tum ad Rhenum Licumque, tum ad Oenum, Ivarum, Danubium Romanorum imperio subjecti in otio mitiorum artium feracissimo degebant. Ad hos ut redeamus admonemur tempore ipso, quod contrarium est

---

[1]) *cf.* Allgemeine Zeitung N. 20. Beil. 20. Iun. 1845.

iis, qui de Allemannis somniant. Hos metalla instituisse, hos artem calluisse auri, argenti, ferri igne mitigandi formandique, hos superbos fuisse vestibus purpurâ auroque pictis reliquâque ornamentorum supellectilisque pretiosissimae magnificentiâ veteres scriptores Plinius, Diodorus Siculus, Strabo, Polybius, alii memoriae prodiderunt.

Cui laudi etsi nihil derogo, tamen id mihi non arrogo, ut quae postea de fonte, ex quo derivandae esse antiquitates Nordendorpenses videantur, ipse dicam, hoc praecipue argumento adjuvari et suffulciri existimem. Neque tanta mihi in operum similitudine pervagatisque Celtarum sedibus ad eos, qui sententiae meae obtrectant, profligandos vis inesse videtur, quantam acerrimus ejus populi praeco ad id, quod ipsi placet, confirmandum putat. Nam ex altera parte qui Allemannos respectos vult, itidem in diariis publicis [1]) hoc jure suo regessit, ideo non licere quae similia invenirentur vel parilia antiquitatis opera omnia ad communem originem revocare, quod res et ex ingenio populorum finitimorum moribusque, hoc est, internis causis ponderanda esset, non ab unis externis casuque repetenda, ex altera negari non potest, Germanorum quoque gentes aliquando in remotissimas terras fuisse diffusas. Idcirco aliud quaestionis fundamentum jaci oportet, quo superstruantur quae a rebus Celticis mutuamur subsidia. Quod quidem unde se nobis offerat, infra explanabo. Nunc non reticeo, male me habere quod in illis diariis de violato patriae amore nescio quo criminentur, qui antiquitatum Celticarum perscrutatores apud nostrates perstringunt. Id enim agitur, ut verum indagemus, non ut aliquid praetexamus gloriae veterum Germanorum, quo ne egent quidem suis virtutibus splendentes. Tum me non perspicere fateor, quid lucri in rem eorum redundet, quod mores Gallorum artesque in nostris regionibus ad interitum ruisse dixerunt, ex quo sacra Christiana altiores ibi radices egissent. Nam si ostendere voluerunt, quanta vis esset atque efficacia doctrinae nostrae salutaris ad voluntates naturamque hominum immutandam, eadem non minor fuit in Germanorum animis quam in Gallorum, sin autem, id quod verisimilius est, quae innotescerent in Gallia, Britannia, Helvetia antiquitatis monumenta ad artem Celticam melius cognoscendam facere putaverunt, non item ad antiquitatum nostrarum indolem judicandam, quod Celtae, simulac Christo addicti essent, artem suam dediscere coepissent, nescio an hoc non sit rerum naturae conveniens. Mirum etiam est, quod numis Romanorum de sepulchris exemtis nihil tribuunt in aetate perquirenda. Videlicet iis tum demum rem decidi cre-

---

[1]) *cf.* Allgem. Zeitung: Noch ein Wort über die Nordendorfer Alterthümer. N. 35. 4. Febr. 1845.

derent, si brevi unius ejusdemque aetatis spatio terminarentur neque foraminibus ad lusionem essent destinati! Recte hanc causam repudiavit, qui in actis Caroliruhanis suam de Celtis opinionem contra adversarii sui reprehensionem tuetur. [1]) Potuit addere, numerum ipsum numorum non esse flocci habendum eumque, ut major ad id, quod res est, probandum non requiratur. Sed nollem ab eo, quum responderet adversario, Bojos incolas nostrae regionis nominatos, quos certum est hunc tractum, si occupavere, diu non potuisse tenere [2])

Ut autem Austriaco Celtarum apud nos vindici similitudo antiquitatum causa est, cur sepulchra in nostris terris detecta perinde atque ea, quae apud Helvetios, Gallos, Britannos aperta sunt, ad eundem populum retulerit, ita C. *Wilhelmium* V. D., qui de scriptione Raiseri supra a me laudata in annalibus litt. Heidelbergensibus [3]) judicium censuramque fecit, et ipsa similitudo impulit, ut conditoria Nordendorpensia aut *Allemannorum* aut *Ostrogothorum* aut, si posteriore etiam tempore facta essent, *Francorum* fortassis fuisse nullosque in iis Germanos sepultos quievisse, nisi Christianos diceret. Nam quae a Via Montana Mauhemioque urbe in dextra Rheni ripa atque per valles Nicranas in vicinia Brigobannis ad vicum Bühlingam usque ad Basileam, Augustam Rauracum atque trans Rhenum ad Alpes apud Helvetios, tum in palatinatu Bavariae et ad Visbadam, denique in regno Bavarico ipso ad Tittmaningam atque per Lici Ivarique ripas, quae igitur in his regionibus cognoscere licuisset mortuorum antiquorum loca, quum eodem munerum genere, iisdem armis, ornamentis supellectileque eandem artem referente (ranarum curvatarum figuras, quas *Wilhelmi* in orbibus radiatis deprehendit, eas vereor ut quisquam videat: sunt scilicet hominum imagines saltantium) extructa essent, fieri non posse, quin ad Germanos vindicarentur omnia. *Raiserum*, qui *Celto-Vindelicos*, *Romanos*, *Suevo-Allemannos* promiscue, ut quique in agro Nordendorp. consedissent, per tria saecula ibi humatos esse statuit, [4]) propterea erroris convinci putavit, quod mortuorum corpora eodem ritu condita certo deinceps ordine sese excepissent, Celtarum autem et Romanorum mores in funeribus celebrandis sepulchrisque ordinandis tum inter se dissedissent, tum diversissimi a Germanorum gentibus fuissent, nec usu venire potuisset, ut Germani capitali odio in Romanos incensi suos post mortem quidquam cum his commune habere vellent. Quodque vasa, claves, fibulae, numi Romani cum

[1]) *cf.* Karlsruher Zeitung 1845. N. 156—158.

[2]) *cf.* praeter libr. Casp. Zeussii jam citat. et: Real-Encyclopädie v. A. Pauly Bd. I. p. 1141.

[3]) *cf.* 8ter Jahrgang 2tes Doppelheft März u. April 1845. p. 283—291.

[4]) *cf.* Combinirter Jahresbericht etc. J. 1842. u. 1843. p. 68.

antiquitatibus Germanis una collecti essent, id non mirum esse dixit, praesertim quum Germani, quidquid ex Romanorum imperio superstes esset, crudelissime devastantes, tamen quae arriderent ab interitu servare possent, ut sese, credo, ipsos iis ornarent.

Equidem quid de hac *Wilhelmii* opinione sentiam, facile supersedeo exponere. Liquet enim ex iis, quae contra alios monui, cur nullam posse Germanorum mentionem injici existimem.

Itaque etiam mihi videtur satis esse verbo indicasse, quod Vir clarissimus, qui ordini academiae litterarum Monacensis philosopho-philologico est ab epistolis, in consessu societatis amplissimae palam est professus, non posse dubitari, quin opera inventa Germanis adscribenda essent, qui nomine ***Burgundionum, Allemannorum, Bajouvariorum*** vertente saeculo quarto quintoque in eam Raetiae Noricique partem, quae est citra Alpes septentrionales, ingruissent [1]).

Restat, ut summatim attingam, quae ***Platzer***, professor Neoburgensis, scripsit [2]). Is igitur coloniam *militum limitaneorum* in agro Nordendorpensi constitutam fuisse ratus primum locis aliquot scriptorum Romanorum in medio propositis [3]), quibus de beneficiis agitur ab imperatoribus in hos milites veteranosque collatis, quantum ad provinciam administrandam imperiique dignitatem interfuerit, milites ibi excubias agentes ut fortissimi essent et strenuissimi significat, deinde castella, quorum vestigia etiamnunc exstent in collibus Drushemianis, maxime idonea fuisse docet, in quibus praesidia militum per quartum quintumque potissimum saeculum imponerentur, ut incursiones hostium tam ab Augusta Vindelicorum quam a parte limitis Raetici arcerent, postremo ita concludit, ut ab *his ipsis militibus limitaneis, quorum confusa fuerit* et *permixta ex Romanis Gallisque natio*, inprimis autem *ab equitibus Stablesianis*, quos Notitia Dignitatum nominet, [4]) mortuos eo tempore, quo Christianorum ceremonias jam adsciverint, ad vicum Nordendorf humatos esse confidentius affirmet.

Atque, fatendum enim est, habet hoc postremum aliquam probabilitatis

---

[1]) *cf*. Münchner gelehrte Anzeigen. N. I. Jahrg. 1845.

[2]) *cf*. Collectaneen-Blatt für die Geschichte Bayerns, insbesondere für die Geschichte der Stadt Neuburg. Neubg. 1843. III. Heft, III. Bd. In his libellis quum multa insint ad excutiendam antiqui temporis memoriam magna cum diligentia congesta, litterarum causa optandum est, ut latius divulgentur, quam adhuc factum esse videtur.

[3]) Citatur autem Lampridius in vita Alexandri Severi c. 57., Capitolinus in vita Probi c. 14., Codicis Theodos. tom II. libr. VII. Tit. XV. p. 398. ed Ritteri, Vopiscus in vita Probi c. 16., Cod. Theod. libr. VII. Tit. XX. et XXII. Lib. XI. Tit. XVI.

[4]) c. 82. p. 1978. ed Graevii.

commendationem, quamquam Antiquarius impigerrimus in situ locorum, quae veteres geographi recensent, explorando operam perdidisse atque etiam in aliis, quae tractat, errore videtur lapsus esse.

His enarratis quum me converto ad id dicendum, quod mea fert sententia, cautione aliqua opus est, ne eo ipso nomine vituperer, quo commotus sum, ut censoris personam aliquoties gererem. Res enim tam praetricosa est tantisque tenebris involuta, ut vix ab audentiae crimine se immunem praestet, qui certo aliquid de ea pronuntiet atque decernat.

Quapropter quae a me dicentur in eam partem accipiant lectores, ut me tantum velle symbolam, quantulacunque sit, iis conferre putent, qui antiquitatis studia colunt.

Sed tria, quantum ego existimare possum, ansas praebent, quibus tenere rem licet et impedire, quo minus in immenso conjectandi campo usque fluctuemus. *Primum* autem *in numis Romanis* cernere mihi videor. Etenim hi numi, quoniam Imperatorum Romanorum nominibus inscripti sunt, temporis, quo mortui, quos diximus, desierunt sepeliri, aliquam certe, opinor, significationem habent. Id profecto extra omnem dubitationem positum est, non posse *prius* sepeliendi finem factum esse, quam ii Imperatores ad reipublicae gubernacula sedebant, quorum nomina in numis legimus ex agro Nordendorpensi erutis. Ultra Imperatorum aetatem terminos prolatare et in posteriora saecula descendere etsi numis ipsis non prohibemur, quum fieri potuerit, ut qui multo ante in usu fuerunt numi mortuis adderentur, tamen est, quod nos admoneat, ut hos duces in temporis ratione expiscanda ne relinquamus. Nimirum nullum neque argentum neque aes signatum adjectum erat muneribus sepulchralibus praeter Romana illa nomismata.

At qui convenit credere, homines tanta artium ubertate affluentes, quantam monumenta Nordendorpensia indicant, si saeculo quinto post expulsos Romanos Raetia potiti sunt, ita suis tanquam sacris abstinuisse, ut ne numulum quidem, quum mortuos componerent, donis suis admixtum vellent? Hoc enim non vereor, ne quis contra dicat, gentem, cujus sepulchra aperuimus, unam cudendorum numorum artem adeo aut ignorasse aut neglexisse, ut, licet suis legibus viveret, tamen pecuniae alienae formis a majoribus sibi traditis uti cogeretur. Scilicet ista penuria in barbaros cadere potest, in hanc gentem excultam atque politam cadere non potest.

Causa igitur cur Romani tantum numi adpositi fuerint, aliunde est petenda. Omnis autem hac in re difficultas explodi videtur, si gentem, cujus rationes in disceptationem veniunt, Romanorum imperio paruisse statuimus vitaeque et commercii subsidia a dominis suis traxisse.

Et *alterum* etiam, quo vestigia rei monstrari putaverim, societatis aliquo vinculo gentem antiquam cum Romanis conjunctam fuisse perspicuum facit. Nam non pauca in ornamentis supellectileque Nordendorpensi ita comparata sunt, ut Romanam originem artemque prae se ferant. Ex quibus si quis vasa Samia, claves, pilas crystallinas, fibulas quasdam, annulos, id genus alia a Romanis fugientibus relicta in victorum Germanorum possessionem migrasse dicat, id velim nos doceat, quomodo factum sit, ut in operibus, quorum propria est indoles atque a Romanis diversa, tamen aliquod Romanorum artificium et disciplinam agnoscamus. Neque enim eo argumento pugno, quod ad confutandos adversarios ex moribus Germanorum vitaque sumi fas est.

*Tertium* denique adminiculum sepulchrorum situs armorumque decora mihi quidem subministrant. Illa enim quum ordine certo processerint certamque intervallorum mensuram servaverint, non videntur eo tempore, quo omnia apud Vindelicos moverentur et perturbarentur, sed eo potius, quo rerum status nondum esset concussus et labefactatus, condita esse; armorum autem, quibus mortui ornati erant, multitudinem indicio esse opinor, eos, qui in his regionibus habitarent, vitam non ab omni parte securam egisse pacisque negotiis intentam, sed expeditos et paratos ad dimicandum hostium impetus exspectasse.

Haec igitur vestigia si sequimur, eo pervenimus, *primum, ut sepulchrorum aetatem Romani imperii per Raetias firmati spatio circumscribere possimus,* [1]) *deinde ut genti, de qua quaeritur, consortii aliquam necessitudinem cum Romanis intercessisse cognoscamus, denique ut, quae temporum conditio fuerit, suspicemur.*

Atque nunc quidem superest, ut rerum per priora quinque saecula p. Chr. in provincia nostra gestarum memoriam adeamus. Quidni enim historia gentis cujusdam vel hominum nomen aut fata officiaque commemoret, in quos conveniant, quae ex antiquitatis reliquiis ipsis didicisse nobis videmur?

*Vindelicos* [2]) autem, quum Cl. *Drusus* hanc terram pacavit, sedes habuisse inter Danubium, Oenum lacumque Brigantinum reperimus. Fuerunt ii

---

[1]) Qui angustioribus eam finibus terminant, numulo *Valentis*, quem supra habemus adscriptum, ut novissimo temporis indice, confisi ii viderint, ne adversariis opertum latus obdent attritos illos et obsoletos numos opponentibus, quos dubium sit cui Imperatori debeamus.

[2]) Gentes eorum quatuor Consuantes, Rucinates, Catenates recenset *Plinius* (Nat. Hist. III., 24) in tropaeo Alpium innixus. Cujus relatio quatenus cum Strabonis atque Ptolemaei narratione concordet, Zeussius (l. c. p. 234) exponit.

*Celticae* originis [1]) urbium et castellorum multitudine opulenti [2]). Quamquam fortitudine praecellebant bellandique cupidine et animi saevitia erant efferati, tamen a Druso ad Alpes celeriter sunt fusi multisque praeliis ita exterriti, ut exiguo cum damno exercitus Romani una aestate perdomarentur [3]). Victores validissimam et maximam juventutis partem inde abduxerunt, iis relictis, qui et colendo agro sufficerent et ad rebellandum non satis virium haberent [4]). Inde ab hoc tempore Vindelicia in provinciae Imperatoriae formam redacta Romanis obtemperabat [5]). Qui quam prudenter et circumspecte res ordinarint, si scriptores veteres tacerent, multa vetustatis monumenta, quae restant apud nos, testarentur. Vias inprimis ad itinerum et mercaturae commoditatem simulque ut extemplo adessent ad provincialium motus comprimendos, si qua libertatis dulcedo animos subiisset, per omnes provinciae partes ducendas curaverunt. Praesidia in castellis per provinciam dispositis collocata et nominis Romani majestatem intus imminutam servabant et terrorem hostibus foris incutiebant. Colonorum in provinciam deductorum magnus numerus erat [6]), qui connubiis junctis effecerunt, ut subditi Romanis moribus et institutis paulatim

---

[1]) cf. Zeuss l. c. Utrum indigenae fuerint an coloni in has regiones missi (cf. Caes. bell. gall. XVII, 24.) decernere non ausim. Ceterum et Niebuhrii liber: Römische Geschichte II. t. p. 589. et Rudharti: Aelteste Gesch. v. Bayern p. 6. legatur.

[2]) cf. Vellej. Paterc. II, 95.

[3]) Dio Cassius histor. Rom. LIV. 22. Flor. IV. 12.

[4]) Dio Cass. l. c. *τό τε κράτιστον καὶ πλεῖστον τῆς ἡλικίας αὐτῶν ἐξήγαγον καταλιπόντας τοσούτους ὅσοι τὴν μὲν χώραν οἰκεῖν ἱκανοὶ νεωχμῶσαι δέ τε ἀδύνατοι ἦσαν.* Ad haec adde Tacit Hist. I. 68: Inde Raetiae alae cohortesque et ipsorum Raetorum juventus sueta armis et more militiae exercita.

[5]) Nomen provinciae inditum est *Raetiae*, quae terram omnem inde ab Alpibus ad lacum Brigantinum fontesque Danubii et ab his fontibus secundum flumen ad Oenum continebat. Posteriore tempore hanc provinciam ita diviserunt Romani, ut superior pars ad Alpes „*Raetia prima*", inferior in campis patentibus „*Raetia secunda*" appellaretur. Utramque partem primum Capitolinus *Raetiarum* nomine comprehendit. (*cf.* Ejus Pertinax 2. ubi haec sunt: Marcus Imperator — statim *Raetias* Noricumque ab hostibus vindicavit). *Raetiae primae* et *secundae* non prius mentio fit, quam saeculo quinto in Notitia Dignitatum (*cf.* Graevii thes. antiqq. Rom. t. VII. p. 1977. ed Lugd. Bat.). Vindelicis tamen, qui septemtrionem versus inde a lacu Brigantino sedes habebant, diu nomen suum mansit.

[6]) „Ego a te in Vindelicis — donatus sum", milites salutant Tiberium gratulantes apud Vellej. Paterc. II. 104.

assuescerent et novis civibus sua bona probarent [1]). Neque enim aliena radicitus evellere terrarum domini, quam sua inferre et mentibus insinuare malebant.

Ita communicatis rationibus [2]) facile est ad intelligendum utrosque sensim in unum quasi corpus coaluisse, cujus vires laeta incrementa caperent.

Colonia autem prope ab eo loco condita est, quo Vinda in Licum influit, Div. *Augusti* nomine *Augusta Vindelicum* nominata [3]). In ea quum sedes magistratuum esset non annuis imperiis, sed donec Imperatoribus collibuisset provinciam regentium duxque militum castra haberet posita, non solum singulas Raetiae partes complexu suo continebat, sed cum capite etiam imperii ipso — Romam dico — arctissime cohaerebat.

Haec colonia quanto aedificiorum splendore civiumque copia et frequentia mercaturae mox floruerit, Taciti testimonio videtur pervinci posse [4]).

Ab urbe splendidissima ut arcerent hostiles impressiones imperiique dignitatem tuerentur, operum munitione Danubium flumen firmissime sepse-

---

[1]) *cf.* Jaumann l. c. p. 66. et 197. et Tacit. Hist. II. 228: — quippe et provinciales sueto militum contubernio gaudebant plerique necessitudinibus et propinquitatibus mixti.

[2]) Staelinus quum dixisset, memoratu dignum esse, quae fuisset sacrorum inter Romanos et provinciales communio et mutatio, omnibus fere locis *Gallicarum religionum* apud nos animadverti vestigia addidit (*cf.* l. c. p. 111. rell.) Deorum nominibus, quae commemorat, Mercurii etiam *Cimiacini* adjungi potest arae cuidam vot. Antiquarii nostri ita inscriptum:

DEO<br>
MERCVRIO<br>
CIMIACINO<br>
ARAM TVRARIAM<br>
M PATERNIVS<br>
VITALIS QVI<br>
AEDEM FECIT ET<br>
SIGNVM POSVIT<br>
V. S. L. L. M.<br>
DEDICAT III KAL OCTOBER<br>
GENTIANO ET BASSO COS

*cf.* Jahresbericht des histor. Vereins im Oberdonaukreis 1835.

[3]) Hoc nomen coloniae primum apud Ptolemaeum (II, 13) legitur, saepius in lapidibus. *Cf.* Gruter. indicem et Raiseri opera. *Damasiam arcem* (ἀκρόπολιν), cujus *Strabo* l. IV, c. 8. p. 324. ed Krameri. (*καὶ ἡ τῶν Λικαττίων ὥςπερ ἀκρόπολις Δαμασία*) mentionem facit, ante Romanorum adventum eodem loco fuisse, etsi recentiores aliquot scriptores affirmant, tamen vix crediderim.

[4]) *cf.* Tacit. de Germ. c. 41.

runt. Idque etiam spectasse censendus est *Tiberius* sive quis alius fuit, quum *Drusomagum* conderet, siquidem hoc castellum in extremo colle clementer edito ad Danubium collocatum coloniae quasi incunabulis ut quod maxime praesidio esset.[1] Hinc per totum limitem secundum fluminis ripam actum stationes militum erant frequentissimae, qui auxilio inter se sustentarent, sicubi res Romana periclitaretur. Intra limitem coloniae militares patebant ex magno subinde hominum peregrinorum, imprimis *Gallorum*,[2] varietate mixtae et eae ad custodiendos fines paratae[3].

Securitati provinciae *Tib. Claudius*, Drusi filius, (41 — 54 p. Ch.) reficiendis viis castrorumque et vallorum mole muniendis prospexit[4].

*Domitianus* (81 — 96) ultra progressus si trans Danubium limitibus per centum viginti millia passuum factis ab hac etiam parte Vindeliciam tutiorem reddidit[5], Taciti verba in libello de Germania c. 29.: „mox limite acto promotisque praesidiis sinus imperii et pars provinciae habentur," ita videntur explicanda esse, ut eum Imperatorem decumates agros ditioni Romanae adjecisse putemus[6].

*Trajanum* autem (98 — 117), quum multa ad imperium Romanum in Germania defendendum fecerit, coeptum opus, tametsi hoc ipsis scriptorum verbis non potest ostendi, verisimile est continuasse.

---

1) *cf.* Raiseri Drusomagus l. c. — Ex adverso in sinistra ripa Danubii inde ab eo loco, ubi in altera ripa Licus in Danubium infunditur, *Hermundurorum* civitas, fida Romanis, usque ad Antonini Pii aetatem porrigebatur. *Cf.* Tac. Germ. c. 41.

2) *cf.* Jauman. l. c. p. 47.

3) *cf.* Tacit. Germ. 29. et Stälin. l. c. p. 90.

4) *cf.* Raiseri Guntia p. 4., quosque describit lapides hujus rei testes.

5) *cf.* Frontini Strateg. I. 3, 10. Imperator Caesar Domitianus Augustus, quum Germani suo more e saltibus et obscuris latebris subinde impugnarent nostros tutumque regressum in profunda silvarum haberent, limitibus per centum viginti millia passuum actis non mutavit tantum statum belli, sed subjecit ditioni suae hostes, quorum refugia nudaverat. Ad haec Stälin (p. 11.) ita quaerit: Wo anders als in Südwestgermanien sind diese limites zu suchen?

6) *cf.* etiam Eutrop. VIII, 2. et interpretes Taciti ad locum cit., quos Ruperti (Taciti opera minora Hanov. 1832. p. 139) refert. Quamquam Bekkerus in Seebodii biblioth. critica a. 1825. p. 194. id regnante Trajano factum esse suspicatur.

Quo autem longius barbari a limite Raetico repulsi secesserunt, eo minore cura iis invigilandum erat, quae intra Danubium parta erant et pacata. Ita usu venit, ut promotis potius castris munimentisque ad transdanubianum limitem militia exerceretur. Nec tamen segnior erat provinciae pace fruentis administratio.

*Hadrianus* quidem (117 — 138), qui alias ex aliis provinciis peragravit, ut regiones urbesque viseret quaeque rerum vitaeque flagitaret usus ipse procuraret, [1]) „in iisque locis, in quibus Germani non fluminibus, sed limitibus divisi sunt, stipitibus in modum muralis sepis fundatis, jactis atque connexis barbaros separavit," [2]) dubitari non potest, quin egregie de colonia nostra meritus sit, [3]) quod urbs Augusta ab eo nomen *Aeliae* traxit perque longius tempus retinuit, et monumentum etiam exstruxit *Matidiae*, sorori Sabinae, uxoris Hadriani, sacrum [4]).

Et *Antonini Pii*, Hadriani filii (138 — 161), beneficiis civitates Raeticae excitatae sunt, ut gratum animum lapide publice posito profiterentur [5]).

*Marcus Aurelius* autem (161 — 180), quem bene cupivisse Vindelicis aeque lapidis inscriptione testatum habemus, [6]) *legionem tertiam Italicam ab ipso institutam* in Raetia collovavit [7]).

Cujus legionis partes quum incertum sit quae fuerint bello contra Marcomannos gesto, quippe quod bellum ad *nostram provinciam vix pertinuerit,* hoc constat, milites leg. III. Ital. [8]) non prius has regiones reliquisse, quam res Romana fortunae suae barbarorumque armis succumberet.

---

1) *cf.* Dio Cassius LXIX., — *Ἀδριανὸς δὲ ἄλλην ἀπ' ἄλλης διαπορευόμενος ἐπαρχίαν τάς τε χώρας καὶ τὰς πόλεις ἐπισκεπτόμενος* rell., et Ael. Spartiani Hadrian. c. 9.

2) *cf.* Ael. Spartiani Hadrian. c. 12.

3) *cf.* Velseri opera p. 296.

4) *cf.* Raiseri: Röm. Alterth. p. 43.

5) *cf.* Raiseri lib: Oberdonau-Kreis unter den Römern I., p. 35.

6) *cf.* Raiseri l. c.

7) *cf.* Dio Cass. LV., 24.

8) *cf.* Notitia Dignitatum Imp. Occident. in Graevii thesaur. antiqq. Rom. t. VII. p. 1978. et Stalini l. c. p. 75. Complures lapides nomen legionis III. Italicae apud nos servant. Inscriptionibus, quas Stälin memorat, hanc adjungo in monumento aliquo Antiquarii nostri insculptam:

*Septimius Severus* (193—211) filiique ejus *Geta* et *Caracalla* (211—217) ob vias pontesque refectos murosque coloniae Augustae restitutos laudati sunt [1]). Hic et provinciales ingenuos omnes civitate donavit [2]) et Germanos, quum ultra Danubium in partibus Romano imperio subjectis commoraretur, comitate sua ita sibi devinxit, ut mirifice eum diligerent [3]), teste Dione Cass. [4]) precibus et votis frustra enixus, ut Apollinem Germanorum *Grannum* propitium sibi faceret.

Sed contigit tamen ei, *Allemannos*, quae quidem gens tum primum (a. 213 p. Chr.) est nominata, prope Moenum amnem devincere vel potius praemiis eo deducere, ut pacem secum inirent [5]), et a *Cennis* etiam, contermina gente *Celticae* originis, pecunia magna nomen victoriae redimere [6]).

D. M.

T · FL · PRIMANO · PATRI · ET ·
TRAIAN · CLEMENTINAE ·
MATRI · ET ·
T · FL · CLEMENTI · FRATRI ·
MIL · LEG · III · ITALIC ·
EXACTO · COS ·
QVI VIXIT ANNIS XXIIII.
T · FL · MARTIALIS SIBI
ET · PARENTIBVS · SUIS

VIVOS FECIT.

Hoc monumentum pulcherrimum 15 pedes altum in agro suburbano ad vicum Oberhausen e solo erutum est.

1) *cf.* Raiseri: Oberdon. Krs. etc. III. 74.

2) *cf.* Pomp. lib. XVII. Nov. 78. c. 5., et Stälin. l. c. p. 90.

3) *cf.* Herodiani l. IV. 7. *πάντας τοὺς ἐπέκεινα Γερμανοὺς ἔςτε φιλίαν ὑπηγάγετο, ὡς καὶ συμμάχους παρ᾽ αὐτῶν λαβεῖν καὶ τοῦ σώματος ἑαυτῷ φρουροὺς ποιήσασθαι — πολλάκις δὲ καὶ τὴν ῥωμαϊκὴν ἀποθέμενος χλαμύδα ἠμφιέννυτο τὰ Γερμανῶν περιβλήματα — κόμας τε κεφαλῇ ἐπετίθετο ξανθὰς καὶ εἰς κουρὰν τῶν Γερμανῶν ἠσκημένας. Τούτοις δὴ χαίροντες οἱ βάρβαροι ὑπερηγάπων αὐτόν.*

4) *cf.* l. c. LXXVII., 14.

5) *cf.* Aurel. Vict. de Caes. 21. et Dionis excerpta — coll. ab Ang. Majo tom. II. p. 230.

6) *cf.* Dio Cass. LXXVII., 14.: — *καὶ αὐτοὶ τὸ τῆς ἥττης ὄνομα πολλῶν χρημάτων ἀποδόμενοι.*

Quem Imperatorem qui proxime imperio secuti sunt redintegrato bello cum Allemannis omnes fere pugnaverunt. *Alexander* namque *Severus* ipse (a. 222—235) ex oriente ad Rhenum contra barbaros vocatus etsi non aperte narratur cum illis acie conflixisse, tamen haud scio an nullam aliam Germanorum gentem adortus sit [1]). Isque quod prudentissime instituit facere, ut *militibus limitaneis* dono daret agros hostibus ereptos, attentius eos militaturos ratus, si etiam sua rura defenderent [2]), id magna cum rei utilitate alii Imperatores imitati sunt.

Ex iis *Maximinus Thrax* (235—238) trajecto fortasse prope Moguntiacum Rheno ex hostibus h. e. Allemannis, qui se intra paludes fuga receperant, tantam victoriam retulit [3]), ut ii per aliquod tempus Romanos incursionibus lacessere desisterent.

Sed turbulentis motibus quum civitas Romana in sui internecionem fureret dignitasque imperatoria praedae loco haberetur, quam felicissimus quisque pro militum arbitrio arriperet, Allemanni (238—260) invitati esse videntur, ut perrupto limite in provinciam invaderent. Nec *Posthumus* dux *Valeriani* (253—260) saepius cum hoste secundo Marte congressus impedire potuit, quominus illi agro Nicarano et Raetia potiti [4]) paulo post, vastatis Galliis, in Italiam ipsam penetrarent [5]).

Inde ab *Aureliano* (270—275), qui et Vindelicos ab obsidione barbarica liberavit [6]), pulsi, [7]) *Probique* (276—282) armis identidem victi [8]) tum quidem ad Abnobam montem et circa Nicrum fluvium sedes fixerunt.

*Probus* autem, cujus singularis fuit in provinciis administrandis industria, quod ad Raetias potissimum a barbaris tutandas fecit, magnis scriptorum laudibus effertur. Germanis enim summa vi prostratis multisque eorum juvenibus, *quos militibus limitaneis insereret,* abductis, limitem Romanum munivit et ex-

---

1) *cf.* Herodian. VI. 7., Ael. Lamprid. Alex. Sev. LIX., etiam Staelin l. c. p. 117.

2) *cf.* Ael. Lampr. Alex Sev. LVIII.: — Sola, quae de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus et militibus donavit, ita ut eorum essent, si haeredes illorum militarent, nec unquam ad privatos pertinerent. Addidit sane his et animalia et servos, ut possent colere quod acceperant, ne per inopiam hominum vel per senectutem possidentium desererentur rura vicina barbaris, quod turpissimum ille ducebat.

3) *cf.* Herodian. VII. 2.

4) *cf.* Eumenii panegyr. Constantio dictus, c. 10.

5) *cf.* Eutrop. IX. 8.

6) *cf.* Fl. Vopisc. Syrac. Divus Aurelian., c. 34.

7) *cf.* Zonaras XII. 24.

8) *cf.* Vopisc. Probus 13. et 14.

tendit, urbes Romanas in finibus hostium et castra posuit, omnem terram colonis *Germanis Gallisque* auctam operumque utilissimorum multitudine ornatam intra vallum Danubianum ita pacavit, ut ne suspicionem quidem ullius terroris relinqueret [1]).

At vero retardari potuerunt barbarorum ferocia exsultantium impetus, penitus opprimi non item. Etenim quamquam C. Val. *Diocletianus* (284—305) et M. Val. *Maximinianus* Herculius (286—305) secundo uterque Marte contra Germanos multis proeliis pugnasse, hic Germaniam, qua Raetis objecta est, ingressus vel limitem Romanum protulisse [2]) dicitur, *Constantioque Chloro* (†. 306), qui ingentem stragem Allemannorum circa Lingones et in campis Vindonis (Wertach) [3]) edidit, [4]) laudi tribuunt, quod a ponte Rheni usque ad Danubii *transitum Guntiensem* Allemanniam devastarit atque exhauserit [5]), tamen quae ab his gesta esse memorantur, documento sunt, eo tempore Romanos satis habuisse, si Danubio flumine ipso incursum hostium cohiberent.

Praeterquam enim quod Allemannorum gens in sinistra fluvii ripa inde a capite ejus ad *Guntiam* oppidum patuisse videtur, Burgundionum etiam, quibuscum jam Probum conflictatum esse Zosimus refert [6]), certamen cum Allemannis exarsit de iis locis, quibus Romani rejecti cesserant [7]). His autem certaminibus quum districti essent, non potuerunt, *Constantino Magno* regnante, annis 323—337, Raetias, hoc est terram intra limitem Danubianum, infestis armis petere [8]).

Post Constantini M. mortem *Constans*, qui provinciam Raeticam patris voluntate una cum Africa Italiaque acceperat [9]) contraque Constantini II. conatus servarat, barbaris restitit, quorum partem, *Lentienses*, Allemannicam gen-

---

[1]) *cf.* Vopisc. l. c.

[2]) *cf.* Mamertini panegyr. Maximiniano dictus c. 9.

[3]) Haec scriptura alteri „Vindonissae (Windisch)“ videtur praeferenda esse.

[4]) *cf.* Eumen. panegyr. Constantino dictus c. 4.

[5]) *cf.* Ejusd. panegyr. Constantio c. 2 et Raiseri: Oberd. K. t. d. R. II. p. 19.

[6]) *cf.* I. 68.

[7]) *cf.* Cl. Mamertini genethl. Maximiani c. 17.

[8]) *cf.* Muchar: das römische Noricum I. p. 92.

[9]) *cf.* Aurel. Victor. epit. XLI.

tem, *Constantius* II. a. 354, victo *Magnentio*, ad lacum Brigantinum fudit fugavitque [1]).

Is etiam *Suevos* (a. 356) agros Raeticos incursaturos [2]) coercuit et Barbatione „peditum magistro" misso *Juthungos* Allemannicos, a quibus pacis foederumque oblitis Raetiae misere vexabantur, acerrime perculit et prostravit [3]) aditusque provinciae communivit. Quo Imperatore quid *Julianus* Caesar Rheno transito ad Moenum felici successu molitus sit, non attinet dicere, quum haec bella Raetias non videantur attigisse. Hoc praestat commemorare, hunc Caesarem purpuram affectantem, quum defecisset a *Constantio* militum suarum fide rerumque gestarum gloria fretus, sollerti studio praevidisse, ne Raeti consilia sua eluderent. Distributas enim armatorum catervas per vias provinciae itineraque quoquoversus properare jussit, ut opinionem numeri immensi praeberet cunctaque formidine compleret. Quo tumultu dum animi erecti sunt et attoniti, ipse, ubi ad eum locum venit, unde Danubium navigari posse audiverat, conscendit naves, quas opportune fors dederat plurimas, quamque potuit celerrime et occultissime in Pannonias tetendit [4]).

De hoc itinere operae pretium est legere quae Mamertinus tradit. Utut enim abjectam hominis adulationem rides et contemnis [5]), id certe ejus verbis apparet, provinciam Raeticam in dextra *fluminis ripa hominum, armatorum imprimis, multitudine abundasse, et quae in sinistra ripa erant loca Romanis opposita barbaros tenuisse.*

Nec *Valentinianus* I. (364—375.), victoriis de Allemannis, quorum partem Theodosius, magister ejus equitum, ex Raetiis cum exercitu adortus captam

---

[1]) Ammian. Marcell. XV. 4.: — Re hoc modo finita paulo post et Lentiensibus Allemannicis pagis iudictum est bellum collimitia saepe Romana latius irrumpentibus, ad quem procinctum Imperator egressus in Raetias camposque venit Caninos.

[2]) *cf.* Ammian. Marcell. XVI. 10. De *Suevis* conferatur Zeusii l. c. p. 315.

[3]) *cf.* Ejusd. XVII. 4.

[4]) *cf.* Ammian. Marcell. XXI. 8. et 9.: — Cumque ad locum venisset, unde navigari posse didicit flumen, lembis adscensis — per alveum quantum fieri potuit ferebatur occulte, ideo latens, quod toleranter et fortiter nullius cibi indigens mundioris, sed paucis contentus et vilibus oppida forinsecus transibat et castra.

[5]) Exempli causa unum locum ex cap. grat. act. 7. adscribo: „Pro sancta divinitas! Quae navigationis illius fuit pompa, cum dexteriorem incliti fluminis ripam utriusque sexus, omnium ordinum, armatorum atque inermium, perpetuus ordo praetexeret, despiceretur ad laevam in miserabiles preces genu nixa barbaria? Omnes urbes, quae Danubium incolunt, aditae, omnium audita decreta, levati status instaurataeque fortunae, innumerabilibus barbaris data venia et munus pacis indultum.

in Italiam misit [1]), ad Solicinium aliisque locis reportatis clarus, damnum resarcire potuit, quod Germani rei Romanae in his regionibus attulerant, et *Gratianus* (375—383), post quem nullus Imperator Romanus in Germaniam ipse intravit, secunda fortuna adversus hostes totius orbis Romani (ita Ammian. Marcellinus Allemannos appellat) usus tametsi „universam (si id tentanti fors affuisset) malefidam et turbarum avidam gentem delere statuit" [2]), tamen iis finibus acquiescere coactus est, qui Danubio continerentur.

Postero tempore tantum abfuit, ut Romani hostes loco suo sedibusque deturbarent, ut iram eorum odiumque certis muneribus atque ex more praestitutis avertere et placare satis haberent [3]).

Ab his quantopere cavendum sibi esse quantaque pericula impendere putarent, creberrimis castellis et operibus declarabant, quibus exeunte saeculo quarto et initio quinti prohibere vellent, ne Germani Danubium transgrederentur. In ipso autem limite prope a flumine per omnem terrae tractum ab Augustanis usque ad Arborem Felicem milites legionis Ital. tertiae dispositi erant ex mira gentium hominumque colluvione conflatae. Stipendia enim meruisse in ea legimus „*Stablesianos* Augustanis, Febianis, Submontorio, *Ursarienses* Guntiae, *Raetos* Quintanis, Venaxamoduro, Parroduno, *Phryges* Pinianis, *Pannonios* Coelio et Arbore, *Sequanos* Vimania excubias agentes" [4]). Et aditu provinciae ita circumsepto factum est, ut pernicies exitiumque ab hac parte aliquamdiu depelleretur. Nam ingentes illae barbarorum turbae, quibus eo tempore late vagantibus imperium Romanum impugnatum est, aut alio cursu ferebantur aut per Raetias in Italiam ita effundi solebant, ut in provincia illa vix aliud quidquam relinquerent, quam repentini terroris memoriam. Hanc ob causam non solum *Stilicho*, strepentibus circum bellorum motibus [5]), eo exercitus cogere et adversus ingruentem Romanorum pestem ex Raetiis ipsis auxilia petere [6]), sed alii etiam, et inter eos *Generidus Honorio* regnante

---

[1]) *cf.* Ammian. Marcell. XXVIII. 5.

[2]) *cf.* Idem XXVI. 5.

[3]) *cf.* Id, XXXI. 10.

[4]) *cf.* Notitia Dign. imp. Occid. t. VII., p. 1977. et 1978. Ex his etiam cognosci potest, quot praefectos tribunosque habuerit dux Raetiae primae et secundae, cujus praetorium Augustae Vindelicorum fuisse verisimile est, quibusque nominibus distincti sint qui aliis in provincia officiis praepositi erant. In lapidibus librisque legatorum et procuratorum haec nomina leguntur: Appius Claudius Lateranus, Aurelius Mutianus, P. P. Dionysius, Volus Terentius Prudens Uttedanius. Duces limitis appellat Vopiscus Fulvium Bojum et Bonosum (*cf.* et Staelin. l. c. p. 89.).

[5]) *cf.* Claudian. de bello Getico v. 275 rell.

[6]) *cf.* Idem eod libr. 366 rell., 400 rell., et de VI. cons. Honor. 230 rell.

(395—423.), quieti et securitati provinciarum consulere potuerunt. Sed postea, quum usquequaque tumultuaretur, neque *Aetii* felicitas in propulsandis Juthungis (annis 430 et 431.) [1]) neque insequentium ducum molimenta barbaros deterruerunt, quominus rei Romanae extremo saeculo quinto, quo *Odoacer* milites Romanos ex iis locis (a. 488) avocare coactus est, funestam plagam infligerent.

*Inde ab eo tempore Allemanni superiores facti terram inter Danubium Licumque interjectam incolebant.*

---

Haec igitur habui, quae de rebus breviter dicerem in Raetiis usque ad finem saeculi quinti gestis. Quaeritur autem, quid ea ipsa adjumenti afferant ad originem operum ex sepulchris Nordendorpensibus protractorum indigandam? Nimirum multa, opinor, hinc colligi possunt, quibus vestigia rei persequi licet.

Ac primum quidem *Celticam* gentem videmus et ante Romanos in his regionibus vixisse late dominantem et, quum Romanorum armis subacta pareret, non adeo esse oppressam, ut mores suos vitaeque instituta omitteret, sed, qnantumvis cum advenarum multitudine conjunctam et commixtam, tamen per omnes rerum conversiones et perturbationes conditione fuisse tolerabili et aequa [2]). Cujus gentis quae urbium aedificiorumque ubertas praedicatur ea et nominibus indicari videtur, quibus veteres geographi loca et domicilia in Vindelicia discernunt [3]).

Nam ut nihil dicam de iis, quae in tabula Peutingeriana Antoniuique itinerario, apud Strabonem et in notitia Dignitatum leguntur, jam voces Ptolemaeanae supra adscriptae Bragodurum, Dracuina, Taxgetium, Brigantium, Ebodurum, Drusomagus, Ectodurum, Artobriga, Bojodurum, Carradunum, Abudiacum, Compodunum, Medullum rell., quum etyma non possint aliunde adscivisse nisi ex sermone Gallico, ut de *Celtis* harum urbium conditoribus cogitemus nos adhortantur. Et religionum etiam monumenta, quae plurima ex antiquo tempore ad nostram aetatem manaverunt, diuturnas apud nos et dilatatas *Celtarum* sedes antiquitus fuisse manifestum faciunt, siquidem *passim* in praefectura nostra collecta sunt Deorum simulacra et tituli, quibus patet, quantam vim res eorum divina vel in ipsa Romanorum sacra exhibuerit. Quemadmodum enim ii apud alios populos Deorum aliquam cum suis cognationem facile odorabantur, ita hanc eorundem proclivitatem alienas superstitiones usurpandi

---

[1]) *cf.* Scriptt., quos Rudhartus p. 123. nominat.

[2]) vide supra p. 32.

[3]) v. s. p. 31.

cognomina sive epitheta *Celtica* arguunt nominibus Deorum Romanorum saepissime adjuncta. Veluti asservantur in Antiquario nostro arae turariae Mercurii *Cimiacini*, [1]) Apolliuis *Granni* [2]), *Sedati*; [3]) Staelin recenset inscriptionem Jovis O. M. *Taranuci*, Martis *Caturicis*, Mercurii *Visucii* et *Leucetii*, Dianae *Abnobae*, dearum *Sironae*, *Eponae*, *Sulevarum* [4]). Quid quod et nomina fluviorum montiumque multorum apud nos *Celticorum* temporum etiamnunc admonent.

Deinde provinciam intelligimus iis artibus floruisse, quibus utilitates vitae promoverentur et pararentur oblectamenta. Hanc autem rerum prosperitatem non possumus statuere ab unis Romanis profectam esse, quos constat vel subditis concessisse, quibus delectarentur, modo ne obsequium et patientiam exuerent. Quodsi *Celtae* certa quaedam artium genera invenisse dicuntur et insigniter fovisse [5]), facile adducimur, ut et eos, qui in Raetiis habitabant, studia avita amplexos esse putemus. Hos etiam, quum singularis fuerit in illa gente metalla vitrumque subigendi et in varias formas ducendi peritia [6]), non mirum videbitur si plus unum hujus sollertiae specimen nobis reliquisse credimus. Et saeculo tertio quartoque imprimis ut maxima in Raetias confluxit eorum multitudo, ita creberrime opificum suorum manus exercuisse et expetivisse artificia censenda est, quod *Celtae* ornatum vestimentorum armorumque decora et splendorem praeter alias gentes amabant [7]). Hinc orta esse verisimile est collegia

---

[1]) *cf.* Supra p. 32. Mercurium Deum, Caesar inquit, (B. G. VI, 17) Galli maxime colunt: hujus sunt plurima simulacra, hunc omnium inventorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quaestus pecuniae mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc Apollinem et Martem et Jovem et Minervam rell. Vide etiam Raiseri lib.: Das römische Antiquar. p. 25.

[2]) *cf.* Raiser l. c.

[3]) *cf.* Ejusd. Sedatum p. 53.

[4]) Staelin in libr. c. p. 111 & 112. Praeter ea, quae dixi, haec cognomina in annotationibus memorat: *Mercurius* augustus, aug. artaius, arcecius, arvernus, cissonius, moccus. Mars britovius, segomon, vincius, belatucardus, camulus. *Apollo* mogounus, toutiorix, siannus, belenous. *Minerva* belisana.

[5]) *cf.* Caes, B. G. III. 21; VII, 22, ubi et haec de Gallis dicit: ut est summae genus sollertiae atque ad omnia imitanda atque efficienda, quae ab quoque tradantur, aptissimum.

[6]) *cf.* Plin. n. h. XXXIV. 48, XXXVI. 66.

[7]) *cf.* Strabo IV. 5 p. 309 ed. Kramer.: *τῷ δ᾽ ἁπλῷ καὶ θυμικῷ πολὺ τὸ ἀνόητον καὶ ἀλαζονικὸν πρόσεστι καὶ τὸ φιλόκοσμον· χρυσοφοροῦσί τε γάρ, περὶ μὲν τοῖς τραχήλοις στρεπτὰ ἔχοντες, περὶ δὲ τοῖς βραχίοσι καὶ τοῖς καρποῖς ψέλια καὶ τὰς ἐσθῆτας βαπτὰς φοροῦσι καὶ χρυσοσπάστους οἱ ἐν ἀξιώματι.* *Cf.* etiam Niebuhrii l.: Römische Geschichte. II. p. 593. rell.

negotiatorum, quorum multa monumenta quum aliis in locis, tum Augustae Vindelicorum adhuc exstant, quae urbs jam antiquitus erat fecundissima mercaturae quasi officina [1]).

Tum edocemur, in ea potissimum regione, qua *Drusomagus* stetit sepulchraque invenimus antiqua, propugnacula imperii Romani fuisse barbaris et primo saeculo a. Chr. opposita et postea, ubi expugnata sunt ab iis et ademta loca, quae Romani trans Danubium occupaverant. In his quidem propugnaculis et intra limitem pervigili cura excubabat ingens militum numerus, quibus ad excitandam officii faciendi alacritatem agri cum onerum publicorum immunitate aliisque beneficiis ita dati sunt, ut hereditatis jure filiis transmitterentur et iis aliquando militiae obligandis [2]). Longe autem maxima eorum pars Germani fuerunt et *Galli*, qui tantis praemiis provocati, quo magis posteriore tempore Romani molles et ignavi castrenses labores barbarorumque feritatem reformidabant, eo promtiores et paratiores ipsi erant ad pericula subeunda.

Postremo hoc apparet, hos omnes milites sub signis ductos esse *legionis tertiae Italicae*, quae ultima Romanorum tempora in Raetiis vidit [3]).

Quae quum ita sint, quid vetat, nos conjecturam de sepulchris capere certiorem? Ante enimvero jam demonstravi, indicia quaedam temporis subesse, quo ea facta putemus. Hoc autem tempore etsi Romanum imperium continetur, tamen Romanis ipsis munera sepulchrorum propterea vindicari nequeunt, quod quae mortuis ii addidere ornamenta his sunt dissimillima. Sed si recolimus nobiscum, quae rei momenta nos ante [4]) impulerint, ut opera antiqua a gente quadam cum Romanis sociata et ad officia militaria destinata repetenda esse augurarемur, in C e l t i s c o n s i s t e r e l i c e t. Hi enim ut tenaces erant artium, quas a patribus perceperant, ita alienas cupide appetebant sciteque ad suas accommodabant. Quocirca causam intelligimus, cur donis mortuorum et ea adjuncta fuerint, quae formam artis habent Romanis usitatam. Nec mirum est, quod in conditoriis nullos numos praeter Romanos deprehendimus. Commerciorum enim in provincia usus id unum pecuniae genus ferebat, quo stipendia etiam militantibus persolvebantur. Ex iis autem, quae de rebus Raeticis dixi, id mihi videor assecutus esse, *ut eos, qui in agro Nordendorpensi* sepulti erant, pateret *defensores et custodes valli munitionumque apud Druso-*

---

1) *cf.* Raiseri scripta.
2) *cf.* Ael. Lampr. l. c.
3) *cf.* supra p. 30.
4) *cf.* s. p. 34.

*magum extructarum eo tempore fuisse, quo Romani repulsi satis habebant, imperium suum intra Danubium tueri.*

At vero ne quis mihi objiciat, quod ipse explicavi, non solum Gallorum opera ad pericula propulsanda tum usos esse Romanos, sed Germanorum ipsorum aliorumque, tantum abest, ut coloniam militarem, cujus sepulchra prope castella Romana in illo provinciae sinu fuerunt, Gallos sive *Celtas* unos aluisse existimem, ut eam diversissima hominum natione compositam fuisse lubenter largiar. Hoc pono, *Celtas, qui cultu ceteros et humanitate praecucurrerint, artificia sua ornatumque omnibus etiam adeo commendasse, ut in provincia praepollerent.*

Atque nunc quidem meum esset, scriptorum veterum testimoniis similitudineque operum in aliis terris effossorum comprobare, *Celtas praecipue* eo ornamentorum genere gavisos esse, quod sepulchra nobis impertiverunt. Sed tempus me admonet, ut scribendi finem faciam. Quapropter qui auctoritatem rei quaerunt aliorum velim adeant scripta, veluti *Henr. Schreiberi*, [1]) V. D., cujus studium maxime laudabile in eo cernitur, ut quomodo Celticae antiquitates a Germanicis differant, diligenter exponat.

Paucis tamen, quid de sacris militum limitaneorum sentiam, explicandum est. Nam et de hoc disputant viri docti, utrum ii Christianorum fuerint an gentilium religionibus addicti. Et possunt quidem, si universe res dijudicatur, in utramque partem argumenta proferri. Neque enim quisquam infitias ibit, jam antequam Imperatores Romani Deos suos valere jusserunt, non paucos *Christum* salutis aeternae auctorem secutos esse [2]), et post sacra Christianorum a Romanis publice recepta veram de rebus divinis doctrinam in provincia viguisse. Catenae et amuleta etiam crucis signo ornata manusque mortuorum quorundam decussatim conjunctae et positus corporum ipse pro documentis ab iis habentur, qui homines illos religionis nostrae sollemnibus initiatos fuisse statuunt. Contra dicere licet, futurum fuisse, ut illi certioribus indiciis palam facerent, si perniciosos de Diis errores aversati essent, quum omnibus fere in sepulchris inventa sint, quae profanos ritus moresque indicent, raraque illa vestigia, quibus insistunt qui mortuos Christianis adnumerare velint, non obstent, quominus aliam explicandi viam ingrediamur; idque dubium non esse, quin et alii defunctos terra ita condiderint, ut capita eorum orientem versus spectarent. Mea sententia verum est, quod medium inter utrosque te-

---

[1]) *cf.* Ejus: Taschenbuch für Geschichte und Alterthum in Süddeutschland. Freiburg 1839 — 1841; die neuentdeckten Hünengräber im Breisgau. Freib. 1826.

[2]) *cf.* Acta Sanctorum. Aug. t. II. Venet. 1751. p. 39. rell.

net. Omnes enim vel maximam partem Christianorum instituta amplexos esse et ob eam causam credere non possum, quam supra adposui,[1]) et ideo mihi non est verisimile, quod qui ab exteris nationibus in agrum Nordendorpensem congregati sunt, non videntur continuo suopte impulsu vel aliis dicto audientes[2]) ad coelestem sapientiam mentes applicuisse; fuisse Christianos inter colonos non negaverim. Ceterum qui vel *Hefelii* librum de rebus Christianorum inter Suevos propagatis legit, eum persuasum habere existimo, difficillimum esse, de initiis Christianis in nostra regione positis certi quid dicere.

---


[1]) *cf.* s. p. 12.


[2]) Non potuerunt Christiani Romanorum Imperatores illo tempore reluctantes cogere, ut novis religionis praeceptis aures praeberent. Hinc venit, quod Valentinianus I. (cod. Theod. l. IX. tit. 16.) edixit, ut concederetur unicuique quod animo imbibisset colendi libera facultas.

## Errata.

Pag. 2. lin. 22. pro: postremum lege: postremo.
,, ,, ,, 26. ,, meridiem v. lege: occidentem v.
,, ,, ,, 29. ,, a septentrionali lege: ab orientali.
,, 3 ,, 27. ,, cecidit lege: ceciderat.
,, 5 ,, 12. ,, *Dracunia* lege: *Dracuina*
,, 12 ,, 23. ,, appensos lege: appositos.
,, 14 ,, 5. ,, inprimis lege: imprimis.
,, 16 ,, 25. ,, id generis lege: id genus.
,, ,, ann. lin. 5. pro: philosophen lege: philosophischen.
,, ,, n. XII. lin. 4. pro: dextera lege: dextra.
,, 20 lin. 5. pro: Infra Signata lege: Infra: Signata.
,, 21 lin. 14. pro: Postremum lege: Ad postremum.
,, 28 lin. 12. pro: *Bajouvariorum* lege: *Bojuvariorum*.
,, 28 lin. 25. pro: inprimis lege: imprimis.
,, 28 ann. lin. 2. pro: Collectanen lege: Collectaneen.
,, 30 ann. lin. 1. pro: opertum lege: apertum.
,, 30 ann. lin. 2. post: Rucinates adde: *Licates*.
,, 31 lin. 10. pro: inprimis lege: imprimis.
,, ,, ann. 4. pro: καταλιπόντας lege: καταλιπόντες.


Funde von Alterthümern bei Nord







8.
a.
b.
c.
d.
e.
f.
g.
h.
25.
27.
28.
29.
35.
36.
37.
38.
41.
42.
43.
44.
49.
50.
51.
52.
53.
54.
55.
56.
58.
a
b
c.
d.
e.
f.
g.
h
a.
b.
c.
d.
e.
f.
g
K.
l.
m.
n.
o.
p.


Funde von Alterthümern bei Nör




8
a
b
c
d
e
f
g
h
25
27
28
29
35
36
37
38
41
42
43
44
52
53
40
50
51
54
a
b
c
d
e
f
g
h
a
b
c
d
e
f
g
k
l
m
n
o

# Funde von Alterthümmern bei N



**...nern bei Nordendorf im Jahre 1844.**



